




# **Disquisitio historico-dogmatica inauguralis de dogmate immaculatae conceptionis Mariae**

<https://hdl.handle.net/1874/312652>

DISQUISITIO HISTORICO-DOGMATICA INAUGURALIS

DE

**DOGIMATE IMMACULATAE CONCEPTIONIS MARIAE.**



DISQUISITIO HISTORICO-DOGMATICA INAUGURALIS

DE

DOGIMATE IMMACULATAE CONCEPTIONIS MARIAE,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JACOBI VAN HALL,

ORD. LEON. NEDERL. EQUITIS, ORD. COLON. QUERN. DECURIONIS,  
JUR. ROM. ET HOD. DOCT. ET PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN

THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

HERMANNUS GERARDUS HAGEN,

*Amstelaedamensis.*

A. D. XI MENSIS MARTII, ANNI MDCCCLVI, HORA II.



TRAJECTI AD RHENUM,  
APUD POST UITERWEER & Soc.

MDCCCLVI.



FRANCESCO

FRANCESCO

FRANCESCO

FRANCESCO

FRANCESCO

## P R A E F A T I O.

---

*Summos in theologia petenti honores, mihi incubuit officium disquisitionis instituendae in aliquam partem disciplinae theologiae campi late patentis. Dogmatum historiam magni facienti, valde mihi arrisit hujus illiusve dogmatis expositio historica. Dubius quum haererem, oculos converti ad constitutionem Pii IX, qua omnes obstrinxit fideles, ut novum fide amplecterentur placitum de Mariae immaculata conceptione. Animo afflictus de victoria, quam superstitionis regnum reportasse videbatur, opera haud indignum fore ratus sum nec studio, ut in hujus rei principia et progressus accuratius inquirerem. Quum vero nulla jam collegissem, quae ad rite eam percipiendam inservire potuissent, audiendo accepi, virum doctissimum A. Pierson, olim hujus Academiae alumnam ac ornamentum, idem in votis habuisse. Certior factus de meo consilio vir ille, pro egregia, quae est, benevolentia ac huma-*

*mus animo, semper nos excitasti. Incolumem te servet Deus O. M. talique me dignum reddat matre filium; per longum tibi parcat annorum cursum, liberorumque sit amor corona tuae senectutis.*

*Nec vos praetermittere possum, commilitones carissimi, amici dilectissimi! Permulti ex vestra consuetudine vestroque amore mihi redundarunt fructus. Quoquo tendunt nostra fata, nunquam amicitiae nostrae vinculum solvatur, neque immemores nostri invicem reperiamur. Ipso veritatis spiritu ducti, quae ex ejus fonte hausimus, maximo ardore ubique promovere studeamus. Vera sic fruemur felicitate, nobisque erit propitius Deus, cui omnis sit gloria in aeternum!*



## CONSPECTUS.

Introitus.....	Pag. 1.
----------------	------------

### PARS PRIMA.

#### DOGMATIS IMMACULATAE CONCEPTIONIS EXPOSITIO

##### HISTORICA.

Semina dogmatis de immaculata conceptione. a. sec. V. ad sec. XII.	11.
Dogmatis hujus progressus scolasticorum explicatione. a. sec. XII. ad sec. XIV.....	24.
Universitatum et conciliorum auctoritas. a. sec. XIV. ad sec. XVI.	32.
Jesuitarum ad hoc dogma commendandam atque inculcandum co- natus. a. sec. XVI. ad sec. XVII.....	40.
Concessio paparum et dogmatis triumphus. a. sec. XVII. ad sec. XIX.	48.

### PARS SECUNDA.

#### DOGMATIS IMMACULATAE CONCEPTIONIS DISQUISITIO

##### DOGMATICA.

Quid novo dogmate Mariae tribuitur.....	59.
Quo nomine Mariae natura ab humana natura differt.....	63.

*nitale a proposito destitit, nec multa, quae jam inveni-  
erat multosque fontes necum communicare dubitavit.  
Cujus nunquam non me memorem fore humanitatis, maxi-  
masque ei semper relaturum gratias, publice profiteor.*

*Ne quis miretur me in hanc disquisitionem incidisse, magni omnino momenti rem tractantem, quam maximae orbis Christiani partis penitus cognoscere interest. Nonne enim ita fraterno amore ducti simus oportet, ut quot possumus omnibus veram, qua salutis aeternae participes fore queant, ostendamus viam? Nonne eo tendere debent omnes nostrae vires, ut veritas magis magisque elucescat, secularique hujus error ejiciatur? Quodsi erroris inscii sumus, quomodo felici veritatem commendabimus successu? Christiani nihil a nobis alienum putantes, perversos etiam, quos homines in Christianismi arborem inseverunt ramos, penitus cognoscamus necesse est.*

*Antequam vero propositum aggredior, non possum non grato animo recordari omnes illos viros, quibus, quidquid in me est disciplinarum doctrinaeque studii, maxime debeo. In litterariis quas frequentavi scolis, mihi optimos semper duces exististis clarissimi viri, quorum optima fructus sum institutione. Tibi praesertim maximas ago gratias, cl. Karsten qui vespertinas haud impendere recusasti horas ad amorem meum excitandum erga magnum illum Demos-thenem cui multi tantopere debent oratores. Nec minus, quibus te laude prosequar, mihi sufficiunt verba, cl. Opzoomer, qui veram philosophiae viam, quotquot te audire*



*contigit, omnibus indicare haud desiisti. Theologiae vero disciplina ad vos rite aestimandos me duxit, cl. Bouman et Vinke. Quanam doctrinae vestrae sit copia, omnibus notum est, meaque non indiget laude. Quanam sit vestra industria satis probat cura, qua aliarum etiam provinciarum munus in vos suscepistis. Quae ex vestra profeci institutione, nunquam me obliturum esse profiteor, neque immemorem fore, quali usi estis erga me benevolentia.*

*Utinam hic etiam compellare mihi licuerit cl. Royaards, qui historiae Ecclesiasticae praesertim Nederlandicae studio animum meum imbuat, omnesque ejus vires indefesso labore huic studio dicavit. Institutionis ejus fructus nunquam peribunt; quoties ejus libros, quos edidit multos inspicimus, toties optimi magistri imaginem ob oculos habemus.*

*Qui magni hujus viri locum excepisti, ad te denique me converto cl. ter Haar. Quot quantaque erga me fuerint tua beneficia, vix dicere possum, Promotor aestumatissime, qui nunquam non mihi consiliis tuis adfuisti, maximaque erga me usus es comitate, cujus in instituenda disquisitione me optime juvarunt observationes. Quibus omnibus fore ut nunquam indignus comperiar vehementer spero.*

*Cui vero juxta Deum omnia haec privilegia debeo, te alloqui cogit me animus, dilectissima mater. Juvenili aetate patre orbato, pater mihi et mater simul exstitisti. Religionis sensum in me ceterisque tuis liberis aluisti, optimoque tuo exemplo ut Patrem Coelestem pio colere-*



*mus animo, semper nos excitasti. Incolumem te servet Deus O. M. talique me dignum reddat matre filium; per longum tibi parcat annorum cursum, liberorumque sit amor corona tuae senectutis.*

*Nec vos praetermittere possum, commilitones carissimi, amici dilectissimi! Permulti ex vestra consuetudine vestroque amore mihi redundarunt fructus. Quoquo tendunt nostra fata, nunquam amicitiae nostrae vinculum solvatur, neque immemores nostri invicem reperiamur. Ipso veritatis spiritu ducti, quae ex ejus fonte hausimus, maximo ardore ubique promovere studeamus. Vera sic fruemur felicitate, nobisque erit propitius Deus, cui omnis sit gloria in aeternum!*

## CONSPECTUS.

Introitus.....	Pag. 1.
----------------	---------

### PARS PRIMA.

#### DOGMATIS IMMACULATAE CONCEPTIONIS EXPOSITIO

##### HISTORICA.

Semina dogmatis de immaculata conceptione. a. sec. V. ad sec. XII.	11.
Dogmatis hujus progressus scolasticorum explicatione. a. sec. XII. ad sec. XIV.....	24.
Universitatum et conciliorum auctoritas. a. sec. XIV. ad sec. XVI.	32.
Jesuitarum ad hoc dogma commendandum atque inculcandum co- natus. a. sec. XVI. ad sec. XVII.....	40.
Concessio paparum et dogmatis triumphus. a. sec. XVII. ad sec. XIX.	48.

### PARS SECUNDA.

#### DOGMATIS IMMACULATAE CONCEPTIONIS DISQUISITIO

##### DOGMATICA.

Quid novo dogmate Mariae tribuitur.....	59.
Quo nomine Mariae natura ab humana natura differt.....	63.

	Pag.
Quare verum mediatorem Jesum Christum agnoscere non potest Romana Ecclesia.....	69.
Quomodo Christi locum excipit Maria.....	76.
Quaenam ex hac doctrina necessario profluit consequentia.....	83.

PARS TERTIA.

DE PRETIO ARGUMENTIS, QUIBUS IMMACULATA MARIAE  
CONCEPTIO SUPERSTRUITUR, STATUENDO.

Sacra scriptura immaculatam conceptionem non docet.....	91.
Traditio patrum immaculatam conceptionem non docet.....	96.
Singularis antistitum ac fidelium conspiratio immaculatam concep- tionem non docet.....	100.
Papae praedecessorum constitutiones immaculatam conceptionem non docent.....	104.
Conclusio.....	109.



## INTROITUS.

---

Insitum est humanae naturae, ut omnia veneremur et magni faciamus, quae arcto quodam vinculo conjuncta sunt cum eo, quem diligimus. Quo magis quis mortalium a nobis colitur, eo major quoque est honor quo illos afficimus vel dignos censemus, qui aliquam necessitudinem cum eo contraxerint. Et sane, quatenus hi etiam nostra dignos se praestant veneratione, eatenus hic honor certis fundamentis niti dici potest. Ipsa igitur hominum vita et indoles unicum verum nostrae venerationis fundamentum praebent; et plane rem pervertimus, quando statui-  
mus ipsam venerationem vitae esse fundamentum. Hujus igitur erroris quoque Romano-Catholici accusandi sunt, quum ex honore, quo Mariam Jesu matrem prosequuntur, ad ejus vitae praes-  
tantiam concludere haud dubitaverint. Hinc factum, ut in dies proprietatum, quibus ornaretur, accreverit numerus, nullusque sanctitati ejus evehendae finis poneretur ac terminus.

Conjici quidem potest Mariam singulari, quo prae ceteris frue-  
batur honore dignam se praestitisse, optimamque talis filii matrem  
exstitisse; verum ex iis nondum sequitur, ita sanctam eam  
fuisse ut omnis culpaе expers sit habenda. Nec tamen substitute-

runt in sanctitate definienda, verum ulterius progressi sunt, dicentes Mariam prorsus sanctam fuisse, antequam vitae luce fruebatur, quin etiam immaculatam fuisse ejus conceptionem. Quae vehementer per multa secula hac de re agitata est lis, recentissimo tempore in hujus sententiae favorem Pontificis Romani auctoritate dirempta est. Explicite in Sacra Scriptura hanc opinionem haud inveniri, nobis omnibus, plurimisque Romano-Catholicis persuasum est. Utrum vero Sacra Scriptura huic dogmati implicite faveat, introitus instar paucis videndum est.

Accurate si omnium, quae de Maria Christi matre scripserunt Evangelistae rationem habemus, non potest non in oculos nobis incurrere, paucissima tantum eos nobiscum communicasse, quae ad Mariae indolem rite aestimandam ducere possint 1). Iis tantum commemoratur locis, ubi tamquam Christi mater occurrit, vel Christi vitae historiae lucis aliquid afferre potest 2). Nusquam diserte de ea locuti sunt apostoli, neque etiam in epistolis suis mentionem ejus fecerunt, excepto uno loco, ubi Christus ex femina natus esse dicitur 3). Ipse Joannes, cui matris curam Christus mandaverat, qui omnium optime penitus eam cognoscere potuit, nihil monet de ejus sanctitate vel ἀγαμαρτησία quodsi revera Maria ea gavisa fuisset, tanti momenti rem silentio nequaquam praeteriisset. Ne nomine quidem Mariae utitur, ubique eam Christi matrem dicens. Neque adeo evangelistae neque apostoli discriminis quidquam animadverterunt Mariam inter aliosque homines; nusquam ansam praebuerunt opinioni, qua ceteris sanctitate eam antecelluisse hominibus statuitur.

Procul etiam abfuit, ut Christus talem de Maria sententiam

1) Vid. J. A. M. MENSINGA, de vereering van Maria. I. 47.

2) »Dagegen ist eine gewisse Interesslosigkeit, mit welcher Mattheus und Markus die Person der Maria behandeln, nicht zu verkennen.« J. L. JACOBI, Deutsche Zeitschrift. 1855. N<sup>o</sup>. 6.

3) Gal. IV: 4,



elicuerit. Primum Hierosolymae nobis informat Sacra Scriptura Christum cum matre colloquentem. Anxie ubique eum quaerebat, et videns eum in templo sedentem, animo dixit commoto, materna ducta sollicitudine: *fili, cur ita fecisti nobis? ecce, pater tuus et ego anxii quaerebamus te.* In Christi certe responso nihil invenitur, quod sanctitatis ejus nobis praebet documenta; in eo potius qualemcunque reprehensionem animadvertimus: *Quid est quod quaerebatis me? an nesciebatis, oportere me in iis esse, quae Patris mei sunt* 1)? Deinde Mariam invenimus Canae, ubi nuptiae celebrabantur. Vino deficiente, ad Christum se vertit, sperans certe fore ut miraculo aliquo potestatem suam ostenderet 2). Christus vero ei respondit: *Quid mihi tecum mulier? nondum venit hora illa mea.* Quae quum verba duri quid continere videantur, multi interpretes id egerunt, ut eorum significationem lenirent, putantes Christum hac ratione matrem suam alloqui haud potuisse. Verum eos verborum non plane intellexisse sensum aperte patet. *Εύραι* enim reverentiae causa dici solebat, atque hoc sensu quoque occurrit cap. XIX: 26, et: *τί μοι καί σοί* consueta denegandi formula est 3). Quum postea nonnulli Christo dixerant, sedenti magna cum turba: *Ecce mater tua et fratres tui foris quaerunt te*, respondit: *quae est mater mea, aut fratres mei; quicumque enim fecerit quae Deus vult, is est frater meus, et soror mea, et mater* 4). Quae nam verba hisce clarius indicare possunt, Christum propter

1) Luc. II: 49.

2) »Die Ungeduld mit welcher sie Christum antreibt, zu Kana seine Wundermacht zu beweisen, hat etwas Charakteristisches für ihren noch ans Aeuszern gefesselten Sinn.«

J. L. JACOBI. I. I.

3) Joh. II: 4. DE WETTE dicit: eine etwas rasche Abweisung der Einmischung in fremde Angelegenheit, hier bestimmter der unzeitigen Aufforderung zu handeln.

4) Marc. III: 35.



singularem, quam habuit cum ea necessitudinem, matrem suam ceteris hominibus numquam ita praetulisse, ut hanc iis revera superio em fuisse duxerit?

Si autem exemplum quaeris, unde pateat Jesum propterea quod Maria Christum pepererat, matrem suam nondum singulari quodam cultu dignam censuisse: tale exemplum, dubio vacuum et luculentissimum tibi praebeo in responso, quod optimus Servator mulieri dedit, dicenti: *Beatus venter, qui te portavit, et ubera quae suxisti*. Quodsi enim prae ceteris laudare voluisset matrem, non potuerat non hac uti occasione, ut verba mulieris auctoritate sua confirmaret. Quid vero respondit? *Imo beati, qui audiunt sermonem Dei, et eum observant* <sup>1)</sup>. Post Christi etiam mortem, majorem Mariae quam aliis tributum esse non legimus honorem. Singulatim enim apparuit Christus Mariae Magdalenae; probabile quidem est eum simul cum discipulis Mariae quoque apparuisse, verum hac de re nihil legitur in Sacra Scriptura. Quae cum ita sint Christum nunquam ansam praebuisse Mariae prae ceteris mortalibus laude efferendae, summo jure statuere possumus. Neque de eà Jesus tale effatum edidisse legitur quod dixit de Lazari sorore: *Ubicunque praedicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, etiam quod haec fecit, dicetur ad memoriam ipsius* <sup>2)</sup>.

Neque talis laudis, honoris sive gloriae sibi ipsa conscia fuit Maria. Frustra quaeres locum, ubi jactavit se esse matrem magni illius viri, qui venit, ut omnes salvos faceret, matrem Dei ipsius filii, cui omnes dicto audientes esse debent. De unica illa, qua fruebatur sorte, nunquam immoderate gloriata est. Dicto illius feminae, *beatus venter, qui te portavit*, opposuit: *Dominus respexit humilem ancillam suam*. Omnia Deo Christoque se debere, intime ei persuasum erat; et quum cer-

<sup>1)</sup> Luc. XI: 28.

<sup>2)</sup> Matth. XXVI: 13.

tior facta esset de omnibus, quae acciderent laetissimis: *Ecce*, inquit *ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* 1). In iis quae dixit ut Dominum suum laude celebraret, eandem cernimus humilitatem, quamquam se insigni honore a Deo esse affectum penitus persentit 2). *Beatam*, inquit, *me praedicabunt omnes aetates*, non quia ego sancta sum, sed *quia magnifice mecum egit potens ille, cujus sanctum est nomen* 3). Revera Romana Ecclesia Mariae indolem non intellexit 4), quum supra omnes eam exerit reginam coelorum. In eo summa ejus indolis praestantia cernitur, quod, quum mater esset unici illius viri, tamen semper humilis mansit ancilla, quae alio honore non indiget, nisi quae a Christo in eam redundet 5).

Pauca quae nobis commemorant Evangelistae sufficiunt ad eam magni faciendam, quae Christum genuit Salvatorem. Submissa, obediens, omnem in Deo reponens fiduciam, tacite viam haud sine dolore persequitur; et ubi memor est gratiae, qua

1) Luc. I: 38.

2) Hoc praesertim animadvertitur in ejus hymno, ubi magnopere gloriatur de origine sua ex Davidis genere summi regum Israël. Vid. VAN DER PALM, in Oratione, quam hac de re scripsit sacra, MENSINGA, aliique. Huc respiciens etiam B. TER HAAR, in poemate de matre Domini cecinit:

Wat mengeling van vrouwenmoed en teêrheid,  
Van reinheid en van zachtheid was uw ziel!  
Fier beurt gij 't hoofd, waarom die lichtkrans viel,  
Terwijl ge uw kroon voor God in ootmoed neêrleit.  
Stil peinst ge of wordt in geestdrift opgevoerd,  
Gij, schuchtre maagd en Profetes te gader!  
Die, met de vlam van 't koningsbloed in de ader  
Weêr Davids harpsnaar roert!

3) Luc. I: 49.

4) Vid. A. H. NIEMEIJER, Karakterkunde van den Bijbel, T. V. Pars I. p. 30.

5) De salutatione Angeli, quae ab omnibus fere Romano-Catholicis in favorem novi dogmatis adhibetur postea agemus.



afficitur, mentis ducta emotione, eloquitur hymnum, quo Deum suum intimo ex corde pulcherrimis celebrat verbis. Tacite et tranquille vaticinium audit Simeonis: *gladius trajiciet tuam ipsius animam*. Advenit tremendus ille dies. At quamquam discipuli et amici ad unum fere omnes Christum reliquerant, mater dolorosa juxta crucem stabat <sup>1)</sup>.

Quis est, qui hanc illius indolem pulchram sublimemque non habeat? Verum etiam quis est, qui omnium, quae diximus, ratione habita, inde efficiat ita sanctam fuisse Mariam, ut nullis vitiis subjacuerit? De uno tantum homine praedicari potest, illum nunquam peccasse: ceteri omnes, quotquot ex Adamo profluxerunt, peccato obnoxii sunt. Unus ille Servator noster est Jesus Christus. Hunc amisit Romana Ecclesia, novi dogmatis promulgatione. Utinam redire properet ad verbum Dei, scaturiginem aquarum perennium, rejectis cisternis fractis, quae non capiunt aquas <sup>2)</sup>!

Quam tractare nobis proposuimus quaestio pertinet cum ad historiam tum ad partem dogmaticam qua illustrari debet. Primum igitur, historiâ duce, hujus dogmatis cum origo, tum fata sunt exponenda, — deinde inquirendum quid lucis ad hoc dogma illustrandum afferat Romanae Ecclesiae anthropologia; — denique agemus de pretio, quod argumentis, quibus *Immaculata Conceptio* superstruitur, stadiendum sit.

1) Luc. II: 35.

2) Jer. II: 13.

## PARS PRIMA.

### DOGMATIS IMMACULATAE CONCEPTIONIS EXPOSITIO

#### HISTORICA.

Doctrina, quae docet Mariam sine peccato originali conceptam esse 1), sive dogma de immaculata conceptione Beatæ Virginis Mariæ, cum tota doctrina de cultu Mariæ quam arctissime cohaeret. Multae vigent opiniones de origine hujus cultus; ac prioribus post Christum natum seculis jam veram hujus cultus originem quaerendam esse infra videbimus. Si quis autem quaerit quaenam potissimum causa fuerit, cur hic cultus magis in lucem prodierit ac in dies plures invenerit asseclas vel cultores; haec mihi quaerenda videtur in Concilio Ephesino, voce constituta *θεοτόκω*. Quamquam enim ad divinam Christi naturam indicandam proprie hoc nomen Mariæ usurpabatur, sta-

1) LAMBRUSCHINI discrimen observat conceptionem passivam inter et activam. Posterior refertur ad corpus: prior ad animam. „Wir reden,“ inquit, hier einzig von der passiven Empfängnisz der Jungfrau Maria, und behaupten, dasz ihre gebenedeite Seele bei ihrer Vereinigung mit dem Leibe kraft der heiligmachenden Gnade, in der sie erschaffen wurde, von jedem noch so geringen Schatten von Erbsünde frei geblieben ist.

Vid. Ueber die unbef. Empfängn., p. 3 seq.



tim tamen Cyrillus Episcopus hocce nomen in ipsius Mariae gloriam adhibuit, omniaque, quae Christo tribui solent praedicata, in ejus matrem transtulit 1). Semina quidem nonnulla hic illic sparsa erant per Evangelia apocrypha, quae hac de re fuse agunt: verumtamen Ecclesia monuerat, ne quis iis fidem haberet. Multi quidem statuebant sublimes Christo filio, matrem fuisse sublimem, neque aliter hanc rem sibi proponere poterant; at quamquam immoderata Mariae veneratio jam late serpserat, Ecclesia tamen nullo talem opinionem stabiliverat decreto. Quum vero ipsa Synodus in hujus sententiae favorem aliquid decrevisse videretur, nulla amplius aderat causa, cur huic cultui populus non indulgeret 2). Ex hisce igitur inde temporibus in dies magis magisque Maria colebatur: innumerabilis fere festorum evasit numerus. Matri cedere debuit Filius, festorumque numeri augendi finis non potuit imponi, priusquam omnia in Mariam translatae fuerint Jesu Christi proprietates.

Haec Mariae honorum accumulatio effecit, ut nonnunquam in maximas inciderent contradictiones. Quum enim Mariae historiam ad Christi ipsius vitae historiam adaptare vellent, omnia quae antea de Maria crediderant homines, perverti nec minus negari debebant. Sic e. g. Paschatis et Ascensionis festa etiam

---

1) »Les paroles, *Μαρία Θεοτόκος* et Maria mater Dei ayant d'abord été inventé seulement à l'honneur de Jésus Christ, servit bientôt à celui de sa Mère, et enfin ne servit plus qu'à elle. Ceci arriva encore dans les Images, où pour se ressouvenir de l'honneur qui était du à Jesus Christ enfant, on le dépeignait entre les bras de sa Mère. Car ce qui avait été fait pour honorer J. C. ne servit plus qu'à faire honorer la Mère sans le fils, qui ne servait plus que d'une espèce d'ornement à l'Image.»

SARPI, Histoire du Concile de Trente par le Courayer, libr. II. p. 67.

2) Vid. P. S. POLANUS (PAULUS VENETUS), in historiae Conc. Trid. libr. II, 199 editionis Francofurtensis.

in Mariam transferebantur, quorum nullam priorum seculorum patres mentionem fecerant, vulgari eam ratione mortuam esse et sepultam contententes. Seculo vero VII in Orientali Ecclesia festum exstitit *κοιμήσεως* (dormitionis sive pausationis) quod postea in *ἀναλήψιν* mutatum est. Seculo IX in Ecclesia Occidentali institutum a Leone IV eadem celebrabatur pompa, qua Christi ipsius festivitates <sup>1)</sup>. Sic igitur Christi ejusque matris externae vitae fata quantum fieri poterat, aequiparabantur, quo factum est ut ceterae etiam proprietates quibus mediatorem nobis se praestitit Christus, facilius in Mariam transferri possent. Qua de re fusius acturus sum in parte secunda.

Haud exiguum in hisce locum occupavit Mariae sanctitas quae pedetentim majoribus celebrata est laudibus. Rabbini enim qui Christum maxime in odio habebant, id egerunt, ut populus eum contemneret ac despiceret. Quum vero ejus vitae historia omnibus apertior fuerit ac notior, quam quod facile eam possent corrumpere, origini ejus familiaeque labes adspergi debuit. Omnis generis excogitabantur narrationes de Maria ejusque nativitate, quae minus honorifice de ea agebant, multisque eam inquinabant maculis. Quibus ut se opponerent apologetae, singulari prae ceteris virginibus honore Christi matrem extulerunt, ejusque maxime laudarunt virtutes. Sic exstiterunt Protevangelium Jacobi, Historia nativitatis Mariae, Pseudo Matthaei Evangelium aliique quos multi in usum suum adhibuerunt libros, ut Rabbiorum opiniones oppugnarent. Hinc factum, ut sententiis, quae hisce libris continebantur, imbuti, permulti revera existimarint, Mariam talem fuisse, qualis ab iis depingebatur. Rejecit quidem Ecclesia libros illos apocryphos; in succum vero et sanguinem ita eos susceperant homines, ut ab eorum sententia amplectenda vix aut ne vix quidem possent se abstinere. Quae quam luculentissime docent

<sup>1)</sup> Vid. MENSINGA, l. I. I. 133 et III. 296.



Romanam Ecclesiam postea fidem habuisse iis, quae antea publice rejecerat. Eandem rem cernimus in historia Collyridianarum. Erant enim feminae in Arabia degentes, quae festum instituerant in Mariae Virginis honorem, eamque hymnis et sacrificiis celebrabant. Acriter in hanc sectam invectus est Epiphanius, eamque reprehendit, quoniam ejus opera diaboli erant, qui etiam homini tribuit, quod Deo tantummodo debetur <sup>1)</sup>. Multum certe absuit, ut cogitaret vir doctus sequenti jam seculo suam, quae Sacrae Scripturae effatis nitebatur sententiam ab Ecclesia rejici, fanaticasque, quas profligaverat feminas multos inventuras esse imitatores. Quidquid est, seculo quinto initium cernimus cultus Mariae proprie sic dicti, cui multi patres, quorum magna fuit in Ecclesia auctoritas, scriptis suis ansam praebuerunt. Primo vero hoc tempore plerumque egerunt de Mariae indole, sanctitate et puritate, quae nostro tempore ad culmen perductae documentum praebent veritatis, quod qui semel a recta via aberraverit, ulterius ulteriusque procedere debeat, sicuti pila nivea, quae tandem mons fit nivosus. Primo ergo tempore Maria colebatur propter sanctitatem: cultus ejus cum sanctitatis affirmatione arctissimo vinculo erat conjunctus. Postea vero hic nexus non amplius obtinuit, quum alii sanctitatem ad ultimam prosequerentur consequentiam, alii hoc minime facientes ad summum tamen fastigium efferrent cultum Mariae. In dogmaticis singularem prorsus locum occupat, quippe quae a ceteris hominibus differens, non tantum sanctitate eminet, verum etiam sine peccato originali nata statuitur. Gradatim ad hoc culmen pervenit: primum innocens, magnae expertae culpaee habebatur, deinde integra quoad corpus, pura quoad animam, porro sanctificata in utero, denique sine macula concepta. Quarum opinionum progressum exponemus, fusiusque principum virorum cujusvis periodi sententias; ex quibus

---

<sup>1)</sup> Haereses. 79.

nobis pateat singularum periodorum indoles. Scribenti de uno illius, quem indicavi, arboris ramo, ceteris quae ad Mariae cultum pertinent, rejectis <sup>1)</sup>, tantummodo ea enarrare mihi proposui, quae arcte cohaerent cum immaculata conceptione beatae Virginis. Expositio nostra historica in quinque sectiones dividi potest. Considerentur igitur

Semina dogmatis de immaculata conceptione.

a Sec. V ad Sec. XII.

Dogmatis hujus progressus scolasticorum explicatione.

a Sec. XII ad Sec. XIV.

Universitatum et Conciliorum auctoritas.

a Sec. XIV ad Sec. XVI.

Jesuitarum ad hoc dogma commendandum atque inculcandum conatus.

a Sec. XVI ad Sec. XVII.

Concessio paparum et dogmatis triumphus.

a Sec. XVII ad Sec. XIX.

#### SEMINA DOGMATIS DE IMMACULATA CONCEPTIONE.

##### A SEC. V. AD SEC. XII.

A doctrina apostolica recedens Ecclesia incidit in magnos errores, quorum finis praevideri non potuit. Quorum haud minimus fuit, quod filiam Jojakimi et Annae non tantum prae ceteris hominibus ipsoque Christo eximia laude celebrabat, verum etiam ei naturam adscribebat, a vulgari hominum natura prorsus alienam. Quod ita interposuit discrimen eam inter ceterosque homines, simul ad corpus et ad animam referri debuit; utrumque sanctum haberetur necesse erat. Hac in re igitur cer-

<sup>1)</sup> Videatur hac de re optimae frugis liber: MENSINGA, *de vereering van Maria de Moeder onzes Heeren geschiedkundig nagespoord en beoordeeld*, ex quo multum profeci.



nuntur novi dogmatis praeparationes, quod Mariae sanctitatem et puritatem corpore animaque magis magisque in lucem proferre conantur hujus temporis scriptores.

Secundo jam seculo in Ecclesia Occidentali sententiae exstiterunt vestigia, Christi matrem semper fuisse virginem, nec post Christum alios peperisse filios. Nonnulli hanc sententiam amplexi erant, ut Mariae honorem vindicarent; sed maximi hujus opinionis patroni exstiterunt crescente vitae solitariae studio monachi. Omnibus nominibus efferebatur Mariae virginitas. Multi libri hanc rem spectantes in lucem prodierunt <sup>1)</sup>. Qui secus sentiebant, in haereseos crimen inciderunt, ut *Antidicomarianitae* in Arabia, Helvidius aliique. Haec virginitas ante partum et in partu et post partum ab omnibus agnosci debuit, postquam Synodus Ephesi habita hanc confirmavit sententiam. Ad eam propagandam scriptis suis maximam opem praestiterant Ambrosius et Hieronymus. Prior loquens de Maria, dicit: »Sit vobis tamquam in imagine descripta virginitas, vitaeque beatæ Mariae, de qua velut in speculo refulget species castitatis, et forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla vivendi, ubi tamquam in exemplari magisteria expressa prohibitis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, ostendunt. Primus discendi ardor, nobilitas est magistri. Quid nobilius Dei matre? Quid splendidius ea, quam splendor elegit? Quid castius ea, quae corpus sine corporis contagio generavit? Nam de ceteris ejus virtutibus quid loquar? Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente, quae nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum" <sup>2)</sup>. Sacrae Scripturae effatis opinionem suam confirmari putat, dicens: »Haec est virgo, quae in utero con-

1) Cf. AMBROSII Sermo de perpetua Virginitate S. Mariae: de virginibus, etc. HIERONYMI: Liber de perpetua virginitate adversus Helvidium; De virginitate adversus Jovinianum, etc.

2) De Virginibus, lib. I.

cepit, virgo, quae peperit filium. Sic enim scriptum est: 1) »Ecce, virgo in utero concipiet, et pariet filium: non enim concepturam tantummodo virginem, sed et parituram virginem dixit. Quae autem est illa porta sanctuarii, porta illa exterior ad Orientem, quae manet clausa, et nemo pertransibit per eam, nisi solus Deus Israël? Nonne haec porta Maria est, per quam in hunc mundum redemptor intravit, de quo scriptum est: quia Dominus pertransibit per eam et erit clausa post partum, quia virgo concepit et genuit" 2). Quibus verbis Ambrosius ostendit, Mariam post Christum, non plures filios habuisse, quoniam Joseph, ut alibi dicit, nunquam in hanc amentiam prorupisset, ut matri domini corporeo concubitu misceretur; nec fieri poterat ut quae Deum portaverat, portavisse hominem arbitraretur. Nec minus Mariae laudes celebravit Hieronymus, qui, quod dicere pudet, ita processit, ut ipsam virginitatem illibatam statueret, dicens Christum e Maria ortum esse, minime sicuti ceteri nascuntur homines, sed utero inviolato. »Solutus enim, inquit, clausas portas vulvae virginalis aperuit, quae tamen clausae jugiter permanserunt. Haec est porta orientalis clausa, per quam solus pontifex ingreditur et egreditur, et tamen semper clausa est.' Ad quam sententiam comprobendam provocat ad locum Evang. Johan. XX: 19, ubi Christus venisse dicitur et stetisse in mediis discipulis, quum fores clausae essent, ubi discipuli congregati erant propter metum Judaeorum. Dictu fere incredibile est, quot absurda haec sententia nacta sit fautores; et tamen quid hoc commento excogitari potest absurdius? Magnus ipse Augustinus dicit: »Si vel per nascentem corrumpetur integritas virginalis, non fas esset eam dicere virginem, corrupta a nascente virginitate. Et si corrupta esset vel per nascentem, quomodo integra esset

1) Jes. VII: 14.

2) In Epistola 42 ad Syriacum: Ezech. XLIV. 2.



et illaesa virgo" 1)? Doctus ille vir etiam haesit in loco Ezechielis cap. XLIV, eoque suam sententiam comprobavit omnia, quae hic inveniuntur minus commode ad Christi matrem referens 2). Interea alia etiam exstitit sententia, quae orta esse videtur ex comparatione quam Irenaeus instituit Evam inter et Mariam, quaeque Mariam expertem statuebat partus molestiarum. Irenaeus enim dixit: »Quemadmodum Eva per angelicum sermonem seducta est, ut effugeret Deum, praevaricata verbum ejus, ita et haec per angelicum sermonem evangelizata est, ut portaret Deum, obediens ejus verbo. Et sicut illa seducta est, ut effugeret Deum, sic haec suasa est obedire Deo, uti virginis Evae virgo Maria fieret advocata. Et quemadmodum adstrictum est morti genus humanum per virginem, solvitur per virginem" 3). Maxime haec comparatio invaluit in Ecclesia, saepissimeque deinde instituta est, et eo processerunt Epiphanius, Cyprianus alique, ut statuerent locum Genes III: 16 minime ad Mariam referri debere, quoniam nunquam peccaverat, neque igitur peccati sequelis potuit subijci. Sic ex uno errore in alios delapsi sunt, primo pejores; quibus inducti, omne fundamentum historicum spreverunt. Ubi enim nobis patefactum est quod legimus 4). »Praecisum est in Maria illud Evae infelicitatis elogium, quo dicitur: in dolore paries filios tuos, quia ista in laetitia Dominum peperit. Eva enim luxit, ista exultavit. Eva

1) In libro Enchiridii.

2) In sermone de natali domini. »Quid enim est porta in domo Domini clausa, nisi quod Maria semper erit intacta? Et quid est, homo non transibit per eam, nisi quod Joseph non cognoscat eam? Et quid est Dominus solus intrat, et egreditur per eam nisi quod Spiritus Sanctus impraegnavit eam, et Angelorum dominus nascetur per eam? Et quid est clausa erit in aeternum, nisi quod Maria est virgo ante partum, virgo in partu et virgo post partum."

3) Adversus haereses, libr. V. c. 9.

4) In sermone 18 de Sanctis, qui Augustino tribuitur.

lacrymas, Maria gaudium in ventre portavit: quia illa peccatorem, ista edidit innocentem. Mater generis nostri mortem intulit mundo, genetrix Domini nostri salutem intulit mundo. Auctrix peccati Eva, auctrix meriti Maria. Eva occidendo obfuit, Maria vivificando profuit." Quare ergo Maria expers dicebatur partus molestiarum? Quoniam secundum eorum hominum opinionem congruens erat naturae Christi matris. Hoc vero sufficiebat ad statuendum saltuque mortali concludendum, revera ita factum esse. Utinam nunquam hisce de rebus disseruissent! Profecto ad Mariae gloriam augendam inservire non potuerunt hae observationes, quas silentio praeterire multo melius fuisset, quam profanis manibus polluere.

Nec minus ad coelum usque laudata est animi sanctitas, quam corporis integritas. Quamquam nullum quidem testimonium aliqujus scriptoris ecclesiastici primi et secundi seculi afferri potest, a multis tamen eam agnitam esse ex nonnullis liturgiis satis patet. Postea vero quam maxime eam celebrarunt patres. Epiphanius dicit: »Solo Deo excepto, cunctis superior existit Maria; natura formosior est ipsis Cherubim, Seraphim et omni exercitu angelorum: cui praedicandae coelestis ac terrena lingua minime sufficit, imo vero nec angelorum. Ovis immaculata quae peperit agnum Christum" 1). Augustinus a peccato actuali immunem servatam fuisse Mariam itidem significat. »Unde enim scimus, inquit, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum" 2). Argumentum, quo sententiam suam comprobare studebant, fere omnes duxerunt e Christi ipsius sanctitate: similes creantur similibus. Cui doctrinae consequens erat ut immunitatem a peccato originali etiam Mariae tribuerent; attamen hanc nusquam diserte enunciarunt sententiam, quamquam

1) Orat. de laud. S. Mariae Deiparae. Opp. T. 2. p. 293.

2) De nat. et gratia. c. 36.



vocibus nonnulli usi sunt, quae ei favere videntur. Talibus fortasse seducti vocibus, quae plerumque apud poëtas occurrunt, postea facilius dogmatis de immaculata conceptione propugnatores voti sui compotes facti sunt 1). Ephraïm Syrus Dei genetricem vocat sanctissimam, totam puram, totam immaculatam, totam illibatam, totam impollutam et totam incorruptam 2). Fulgentius seculo sexto ait: »in primi hominis conjuge nequitia diaboli seductam depravavit mentem: in secundi autem hominis matre gratia Dei et mentem integram servavit et carnem" 3). Praesertim fuit seculo septimo Hispania, ubi Mariae sanctitas efferebatur ope Episcopi Toletani Ildefonsi. Genere dicendi usus exornato, quam maximos hic in Mariam accumulatur honores. Ita eam alloquitur: »Domina mea, atque dominatrix mea, dominans mihi, mater Domini, ancilla filii tui, Genetrix Factoris mundi, te oro, te rogo, te quaeso, ut de te vera et digna sapiam. Tu enim es electa a Deo, assumpta a Deo, advocata a Deo, proxima Deo, adhaerens Deo, conjuncta Deo. Visitata es ab angelis, benedicta ab angelo, turbata in sermone, attonita in cogitatione, stupefacta in salutatione" 4). Idem ille monuit constare ex auctoritate Ecclesiae Mariam, nullis quando nata est, subjacuisse delictis, neque, cum jam in utero sanctificata fuerit, originale contraxisse peccatum. Quare haud immerito Ildefonsus Paschasii Radberti *πρόδρομος* dici potest, quippe qui eandem sententiam de Mariae sanctificatione in utero verbotenus fere redditam, post duo secula commendaverit et propugnaverit 5).

Quae igitur Mariae tribuebatur sanctitas minime hujus vitae

1) Saepe nobis occurrunt in historia dogmatum poëtae tamquam praecursores dogmatis.

2) Orat. ad Deiparam Opp. Gr. I. T. 3. p. 528.

3) Serm. 2 de dupl. nativ. Chr. Opp. p. 554.

4) MENSINGA, o. l. I. p. 189.

5) Contra eos, qui disputant de perpetua Virgin. S. Mariae Bibl. Lugd. T. 12. p. 566.

limitibus circumscripta fuit; in utero sanctificata, priusquam hunc in mundum venit, sancta jam habebatur. Pedetentim sic accedimus ad novum dogma, quod ne temporis quidem puncto peccato subjacuisse Mariam originali statuit. In Graeca etiam Ecclesia Joannes Damascenus pater Theologiae Dogmaticae operam suam impendit ut Mariae sanctitatem explicaret. »Natura, inquit, gratiae cedit, ac tremula stat, progredi non sustinens. Quoniam itaque futurum erat, ut Dei genitrix ac Virgo ex Anna oriretur, natura gratiae foetum antevertere minime ausa est, verum tantisper expectavit, dum gratia fructum suum produxisset. Siquidem oportebat, eam primogenitam in lucem edi, quae Primogenitum paritura erat" 1). Alibi Mariam paradisum vocat, in quem serpenti aditus non patuit. »Ipse enim unigenitus Filius quum Deus et ejusdem cum Patre substantiae esset, ex hac Virgine et pura terra hominem sibi effinxit" 2). Notio  $\tau\eta\varsigma$   $\Theta\epsilon\omicron\tau\acute{o}\zeta\omicron\upsilon$  hac in re magnam vim exercuit, atque effecit ut in Graeca quoque Ecclesia Mariae cultores exstiterint, qui immoderatis ejus laudatoribus in Occidente nequaquam cederent.

Qui vero omnes collegit argumentationes pro Mariae sanctitate, quoad corpus et animam, perpetuamque illius virginitatem omnibus dubitationibus superiorem reddere studuit, fuit Paschasius Radbertus. Opinioni suae socium dixit Ambrosium dicentem:

Fit porta Christi pervia,  
Referta plena gratia,  
Transitque rex et permanet,  
Clausa, ut fuit, per saecula 3).

Dubitare tamen licet, utrum Ambrosius aliud quid his verbis indicare voluerit, nisi ex Maria, Christo nato, non deinceps alios natos esse filios 4). Cujus doctrinae igitur semina ade-

1) Orat. 1. de Nativitate. B. V. M.

2) Orat. 2. de Assumpt. S. Dei genitricis.

3) In hymno, quem in honorem Mariae composuit.

4) MENSINGA, o. l. I. 85.



rant ab Hieronymo aliisque prolata, hanc magis magisque excoluit Paschasius Radbertus seculo nono. Fuisse sententiam suam hac de re exposuit: ac primum corporis deinde animi puritatem comprobare studuit. Quae ita sunt comprobata ut satis nos doceant, quantopere res pudica, atque a nemine dijudicanda, ab ipsis Mariae cultoribus contaminata sit et polluta.

Temerarium esse dicit de Christo asserere, quod secundum communem legis naturam sit natus, qui non secundum usum naturae in utero de carne Virginis procreatus est. Nam et ipsa lex naturae, sub qua nunc mulieres concipiunt et pariunt, revera non est lex naturae, sed maledictionis et culpae sequela, quoniam nisi Adam et Eva peccassent in paradiso, nemo deinceps natus fuisset sub culpa peccati. Et ideo ista communis lex nascendi non naturae est, sed corruptionis et vitii. Maria autem, quia benedicta, culpam corruptionis non habuit, propterea Christum non in dolore nec sub corruptione genuit. Quodsi ex corruptione aut cum dolore natus est Christus, jam ex maledicto natus est. Unde omnes quae pariunt non ex natura primae originis sic pariunt, sed ex vitio culpae, et ex maledicto justae vindictae Dei. At vero benedicta et gloriosissima virgo Maria ex communi quidem lege naturae, verum etiam non ex natura primae originis filium, neque ex semine viri, sed de Spiritu Sancto ex sua carne divinitus procreatum sine ulla vitiorum colluvione Deum et hominem profudit <sup>1)</sup>. Quae hic dixit Radbertus refutare mihi non lubet, neque hanc refutationem e lectorum sententia opus esse existimo; verum satis absurda sane est conclusio, ad quam pervenit, dicens: »et ideo clausis visceribus jure creditur conceptus, ita omnino et clauso utero natus." Quid? quod eo processit dementiae, ut ad hanc sententiam comprobendam provocaverit ad locos ex Vetere Testamento

<sup>1)</sup> PASCHASIUS Radbertus de partu virginis: d'Achery Specil. T. 1. p. 44 seqq.

allatos 1). Postquam corporis puritatem vindicavit, ad animi sanctitatem comprobendam transit. Argumentum suum petit ex Ecclesiae consensu, ad quem tamen probandum testimonia afferre neglexit, et ex male intellecta voce *ζεγαριτωμένη* 2). In hac argumentatione gradatio animadvertenda est vel potius saltus. Postquam enim in exordio beatam Mariam de carne peccati natam et procreatam ostendit, ipsamque carnem peccati fuisse, concessit tamen auctoritate coactus Ecclesiae, eam nullis subjacuisse delictis nec contraxisse in utero sanctificatam originale peccatum. »Beata Maria, inquit, licet ipsa de carne peccati sit nata et procreata, ipsaque quamvis caro peccati fuerit, non tunc jam, quando praeveniente Spiritus Sancti gratia ab angelo prae omnibus mulieribus benedicta vocatur, caro peccati fuit. Alioquin si non eodem Spiritu Sancto sanctificata est et emundata, quomodo caro ejus non caro peccati fuit? Et si caro ejus de massa primae praevaricationis venit, quomodo Christus Verbum caro sine peccato fuit, qui de carne peccati carnem assumpsit, nisi quia Verbum, quod caro factum est eam primum obumbravit, in quam Spiritus Sanctus supervenit et

1) Jesaiam LV: 10. Jerem. XXXI: 22. Ezech. XLIV: 22. Psalm XXII: 10. Ps. LXXI: 6. Ut ex multis unum eligam, Psalmum XXII: 10 sic interpretatur: »Extraxisti me, quia non eo ordine sum egressus de utero, ut caeteri nascuntur cum ingenti vexatione matris, sed novo egressu, sine corruptione pudoris. Extraxisti me quidem de ventre matris, et non ego viscera corrupti integritatis. Quodsi, adjicit, non ita maneret incontaminata, ut reliquae virgines, vere virgo non esset. Sed quia omnino virgo permansit, nullis pressa est doloribus, in nullo corrupta fuit, et ideo non fecundarum spurcitas traxit, non sanguinis fluxum emisit, non corruptiones viscerum infra extraque pertulit.» Verum oculos avertamus ab obscœna tali ratiocinatione: in ea indolem cernimus periodi, quae maximis tenebris obteeta, nihil melius producere potuit.

2) Luk. I: 28.



virtus Altissimi eam totam possedit?" Ab eo igitur inde tempore, quo Spiritus Sanctus Mariam obumbravit, beatæ virginis sanctitatem incepisse ipse fatetur Radbertus. Postea vero ipse sentit se ulterius procedere debere, quoniam ejus nativitas gloriosa in omni Catholica Ecclesia Christi ab omnibus felix et beata prædicabatur. Et tantopere apud illum valet Ecclesiæ auctoritas, ut, quia tam solemniter colitur Maria, ex auctoritate Ecclesiæ constare dicat, quod nullis, quando nata est, subjacuit delictis, nec contraxit in utero sanctificata originale peccatum. De industria tam copiose commemoravi Paschasii Radberti argumenta, præsertim quod ad primam disputationis partem attinet, quoniam omnia, quæ postea allata sunt, fere eodem redeunt, neque adeo repetantur necesse erit. Ipsi Radberto res satis clara erat et perspicua, neque aliquid huic suæ sententiæ obstare putavit. Quid vero huic viro non clarum esset et perspicuum, qui post benedictionem sacerdotalem panis et vini substantiam in corpus Christi translatam, ipsorumque non nisi figuram superesse statuit? Si quis sententiam ejus infringere studebat locis e Sacro Codice allatis, hic nullum afferre potuit locum quem non in suæ opinionis commodum explicuerit Radbertus. Objicientibus ea quæ Lucae cap. II<sup>o</sup>: s. 22 narrantur respondit: »Non sic completi dies purgationis ejus dicuntur, quasi beata virgo purgatione egerit ullius delicti, quia peperit Dominum Jesum Christum de Spiritu Sancto procreatum, sed quia ipsa sub lege erat, et Dominus Jesus Christus sub lege factus, factus de muliere, legis præcepta et instituta veterum in eo servantur jure ad tempus, quousque cessante lege, gratia succederet. Et hæc est completio dierum secundum consuetudinem legis, et non secundum necessitatem purificationis."

Permullis hæc Paschasii Radberti doctrina placuit, qui eum strenuum prædicarunt defensorem beatæ virginis honoris. Alii tamen in eo hæserunt, quod alia ratione, qua ceteri infantes, nasci debuissent Christum contendit. Inter eos inprimis Ratram-

nus Monachus Corbejensis 1). Absurdam Radberti opinionem refellit, virginitatem Mariae ita accipiens, ut Christum verum humanae nativitatis habuisse ortum statuerit 2). Vel sic tamen affirmat, Mariam virginem mansisse, fideique Catholicae addictum se declarat confitenti, quod virgo fuit Maria ante partum, virgo in partu et virgo post partum 3).

Interea locis e veteri Testamento petitis 4) ostendit nihil turpe inesse in consueto, quo Christus natus erat naturae ordine. Turpe enim, secundum ejus sententiam, aut de natura est aut de peccato. Sed per naturam nihil turpe: testatur enim Geneseos lectio, quod omnis creatura bona. Quod bonum, et honestum est; quodque honestum, non turpe. Igitur omnis creatura secundum quod creata est, nequaquam turpis, nec partes omnes creaturae honestae. Haec lis Paschasium Radbertum inter et Ratramnum agitata, effecit ut pluribus de Mariae sanctitate doc-

1) In libro de eo quod Christus e virgine natus est: d'Achery T. 1, p. 52 seqq.

2) «Quorundam, inquit, non contemnenda cognoverat relatione, quod per Germaniae partes serpens antiquus perfidiae novae venena diffuderat, et Catholicam super nativitate Salvatoris fidem fraudis subtilitate subvertere moliebatur, dogmatizans Christi infantiam per virginalis januae vulvae, humanae nativitatis verum non habuisse ortum, sed monstruose de secreto ventris incerto tramite luminis in auras exiisse, quod non est nasci, sed erumpi.» Quibus opposuit Ratramnus, angelum ad Mariam missum, signatis enuntiasse verbis: Ecce, concipies in utero et paries filium. Non ait, concipies in utero et paries filium, et egredietur tuo de utero, sed concipies et paries, utrumque referens ad Mariam, ut virginitate inviolata et conciperet tamquam femina et pareret tamquam mater.

3) Fieri vero id potuisse clausis visceribus negat, rationesque affert, quare nasci ut caeteri debuerit Christus, dicens per quemcumque fuerit Christus locum natus, secundum adversariorum sententiam, corporis integritatem violatam esse debere.

4) Gen. I: 11. Exod. XIII: 1. Lev. XII: 2. Jesaia VII: 14, VIII: 3. Jerem. XXXI: 22. Ezech. XXXIV: 3 aliique.



trina innotuerit. Magis magisque quidem assopita est quaestio de modo quo Christus e virgine natus erat, verumtamen animi sanctitas, a multis acriter defensa, in dies plures nacta est cultores.

Ad seculum autem usque duodecimum, nemo, exceptis quos memoravimus, haereticis 1), immaculatae conceptionis beatae virginis mentionem fecerat. Hoc vero tempore omnia parata erant ad novum accipiendum dogma; ad culmen perducta erat sanctitas Mariae; ulterius procedere volebant cultores Mariae, iisque placuit ad haereticorum opiniones refugere. Anno 1140 novum exstitit festum a Canonicis Lugduni institutum in honorem immaculatae conceptionis Mariae. Qui iis addicti erant, plerique nitebantur auctoritate Ecclesiae, quae nulla exstabat, vel petitionem principii in eo committebant, quod immaculatae fidem habebant conceptioni, quoniam Maria tam solemniter ab Ecclesia colebatur. Quamquam vero permultis hoc gratum fuit et acceptum, nonnulli omni, qua poterant vi, se opposuerunt. Inter eos Bernardus Claraevallensis, qui ad Canonicos Lugdunenses epistolam scripsit 2), in qua hoc conceptionis festum ostendit prorsus novum esse et nullo niti legitimo fundamento: praeterea improbat hoc festum institutum fuisse inconsulta sede apostolica, cui sententiam suam subjicit. Negare quidem non vult Mariam nunquam peccasse; imo omnibus laudibus eam celebrat Deique voluntatem esse contendit, maximum ei toto ex animo et corde honorem tribuere. »Honora sane, inquit, integritatem carnis, vitae sanctitatem: mirare foecunditatem in virgine, prolem venerare divinam. Extolle nescientem vel in concipiendo concupiscentiam, vel in pariendo dolorem. Praedica reverendam angelis, desideratam gentibus, patriarchis prophetisque praecognitam, electam ex omnibus, praelatam omnibus. Magnifica gratiae inventricem, me-

1) Vid. pag. II.

2) Epist. 174 ad Canon. Lugd. in libro Mediolani edito secundum J. MABILION I. p. 248 sqq.

diatricem salutis, restauratricem saeculorum: exalta denique exaltatam super choros angelorum ad coelestia regna: haec mihi de illa cantat Ecclesia, et me eadem docuit decantare." At quamquam Bernardus cuncta illa concedit, immaculatam tamen conceptionem non agnoscit patrumque negat consensum, dicens: »Numquid patribus doctiores aut devotiores sumus? Periculose praesumimus quidquid ipsorum in talibus prudentia praeterivit. Nec vero id tale est, quod nisi praetereundum fuerit, patrum quiverit omnino diligentiam praeteriisse." Quamquam assumptionis et nativitatis beatæ Mariae festa recepta esse dicit, rationes tamen refellit colendæ conceptionis, nec movetur revelationibus, quibus ratio haud suppeditat, nec certa invenitur favere auctoritas. »Nam," rogat, »quid consequentiae habet ut, quoniam sanctum praecessit natalem conceptus, propterea reputetur et ipse sanctus? Unde ergo conceptionis sanctitas? An dicitur sanctificatione praeventa quatenus jam sancta conciperetur, ac per hoc sanctus fuerit et conceptus, quaemadmodum sanctificatio jam in utero dicitur ut sanctus consequeretur et ortus? Sed non valuit ante sancta esse quam esse; siquidem non erat antequam conciperetur. An forte inter amplexus maritales sanctitas se ipsi conceptioni immiscuit, ut simul sanctificata fuerit et concepta? Nec hoc quidem admittit ratio. Quomodo namque aut sanctitas absque Spiritu Sanctificante, aut Sancto Spiritui societas cum peccato fuit? aut certe peccatum quomodo non fuit, ubi libido non defuit? Nisi forte quis dicat de Spiritu Sancto eam et non de viro conceptam fuisse. Sed id hactenus inauditum." In eo vero cernitur virginis honor, secundum Bernardum, quod sanctus non fuit ejus conceptus. »Alioquin ubi erit prerogativa matris Domini, qua singulariter creditur exultare et munere proles et integritate carnis, si tantum dederis et matri ipsius? Non est hoc virginem honorare, sed honori detrudere." Sed omnes Adami posteros in peccatis acceptos esse affirmat et natos, ut uni servaretur conceptio



immaculata Christo. Si enim ipsa conceptio Mariae immaculata haberi debuit, eodem jure parentes ejus, avi et proavi a peccato originali immunes dicendi essent. Novum igitur illud placitum a Bernardo vocatur »praesumpta novitas, mater temeritatis, soror superstitionis, filia levitatis." Et ita persuasum illi fuit se Apostolicam sedem hac in sententia sibi assentientem habere cui semper adhaerere debent Romano-Catholici, ut nunquam expectaverit insanum hoc placitum ab ea confirmatum iri, quare tuto ad ejus auctoritatem appellare potuit. » Nam, inquit, si sic videbatur, consulenda erat prius apostolicae sedis auctoritas et non ita praecipitanter atque inconsulte paucorum sequenda simplicitas imperitorum 1)." Post editam a Bernardo epistolam, nonnulli eam oppugnarunt, praecipuaque quibus permotus fuerat ad illam edendam fundamenta evertere conati sunt. Omnia quae hac de re scripta sunt enarrare longum est; de ipsius festi institutione pugna per totum seculum duodecimum perduravit, dum alii a Bernardi parte stabant, alii vero maximo animi gaudio festum celebrabant. Cujus rei controversia id effecit, ut multi cogitarent de nova illa Mariae tribuenda proprietate, tempusque instaret, quo Doctores inter se magno disputarent ardore.

---

DOGMATIS HUIUS PROGRESSUS SCOLASTICORUM EXPLICATIONE.

A SEC. XII. AD SEC. XIV.

Quaestione de festo instituendo sopita, controversia ipsa exagitari coepit inter Doctores, quorum alii beatam virginem a

---

1) LAMBRUSCHINI monet pag. 60 multos theologos hanc Bernardi Epistolam suppositam habuisse; at illos nullis argumentis criticis sed opinione praecipitata ad hoc iudicium ductos esse quis non videt? Verum Theophilus Raynaud dicit in *Diphtheis Marianis*: Nisi tamen omnes Bernardi epistolas ei abjudicare placeat, hanc, quae omnium maxime Bernardum sapit, alteri tribuere tamquam germanum foetum plane prohibemur.

peccato originali immunem habebant, alii in contrariam abibant sententiam. Ad hanc rem promovendam inservit ipse cultus Mariae, qui hoc tempore mirabili ratione in dies crevit. Incredibile dictu est, quot exstiterint explicationes cantici canticorum in gloriam et laudem beatæ virginis <sup>1)</sup>, ad quam, neglecto vero sensu, omnia paene verba contorquebantur. Nec tamen omnes ejusmodi privilegium Mariae tribuerunt, quod maximi nominis viri illa denegarunt, uti Petrus Lombardus, Alexander Halensis, Thomas Aquinas, Bonaventura, aliique. Quorum auctoritate ducti, multi novum in Mariam conferendum honorem improbarunt. Omnium vero maximus illius rei propugnator fuit Joannes Duns Scotus, cujus opinio tantopere invaluit, ut, ubique fere accepta, jam dudum communis Ecclesiae sententia facta esset, nisi Thomae Aquinatis auctoritas obstitisset. In utriusque viri sententias accuratius inquiremus, quoniam ex iis clare patet, quaenam propugnatorum, quaenam oppugnatorum sint sententiae. Sic quoque eo melius intelligi et dijudicari poterunt vehementes, quas Franciscanorum et Dominicanorum ordines inter se agitarunt lites.

Primum igitur agendum est de Thoma Aquinate, quem secuti sunt Dominicani. Immaculatam conceptionem fide non amplexus est, verum sanctificatam esse in utero beatam virginem statuit. Quibus hanc opinionem superstruxit argumenta tam levia sunt, ut mirari subeat, tanti virum ingenii talibus uti potuisse argumentis. Ardentior vero filius matris Ecclesiae fuit, quam ut abrogare aut posset aut vellet doctrinam ab ea in succum et sanguinem susceptam. Facile dum perspicitur haud adeo magnum discrimen intercessisse Thomae inter ejusque sectatorum sententiam, atque opinionem illorum, qui immaculatam conceptionem tuebantur. Lis redit ad discrimen temporis, quum

<sup>1)</sup> Alanus ab Insulis, Rupertus, Richardus a S. Victore, Aegidius de Columna, aliique.



illi sanctificationem Mariae in utero post animationem statuunt, hi vero eo momento, quum rationalis anima cum corpore copulabatur. Quomodo vero Thomas Aquinas in exponenda sua sententia procedat, videamus. Primum quaerit, utrum beata virgo mater Dei, fuerit sanctificata ante nativitatem ex utero? Multa ipse contra hanc sententiam dubia movet, e. g. »quicumque est sanctificatus per gratiam, est mundatus a peccato originali et actuali. Si ergo beata virgo fuit sanctificata ante nativitatem ex utero, consequens est, quod tunc fuerit emundata ab originali peccato. Sed solum originale peccatum poterat eam impedire ab introitu regni coelestis. Si ergo tunc mortua fuisset, videtur, quod januam regni coelestis introiisset. Quod tamen fieri non potuit ante passionem Christi 1). Sed omnibus hisce dubiis obstat quod Ecclesia celebrat nativitatem beatae virginis; in Ecclesia vero non celebratur festum nisi pro aliquo sancto; ergo beata virgo in ipsa sua nativitate fuit sancta.” Argumentum scilicet validissimum, quod alia vix requirere videtur! Ipse Thomas confitetur nihil de sanctificatione Mariae in scriptura canonica traditum esse neque ejus nativitatis mentionem fieri. Verumtamen, hisce omissis, rationabiliter credi affirmat, beatam virginem Mariam, quae genuit unigenitum a Patre plenum gratiae et veritatis, majora omnibus gratiae privilegia accepisse atque fuisse in utero sanctificatam, sicuti sanctificati in utero multi leguntur (Jeremias, Joannes Baptista). Ex hisce autem alia oritur quaestio: si verum sit, Mariam in utero sanctificatam esse, quo tempore illa sanctificatio locum obtinuit: utrum ante, an post animationem? Cui quaestioni, duplici ratione respondit: quod sanctificatio beatae virginis non poterat intelligi ante ejus animationem. verum postquam anima rationalis cum corpore conjuncta fuit 2).

1) Thomae Aquinatis Pars III. Quaest. XXVII. art. 1, 2, seqq.

2) »Primum quidem, quia sanctificatio, de qua loquimur, non est

Cum hac doctrina de sanctificatione Mariae arctissime cohaerent, quae a Thoma afferuntur in favorem virginitatis ejus ante partum, in partu et post partum. Nam omnis sanctificationis doctrina caderet, nisi constaret de virginitate, eo tem-

---

nisi emundatio a peccato originali: sanctitas enim est perfecta munditia. Culpa autem non potest emundari nisi per gratiam, cujus subiectum est sola creatura rationalis. Et ideo ante infusionem animae rationalis beata virgo sanctificata non fuit. Secundo, quia quum sola creatura rationalis sit susceptiva culpa, ante infusionem animae rationalis proles concepta non est culpa obnoxia. Et sic quocumque modo ante animationem beata virgo sanctificata fuisset, nunquam incurrisset maculam originalis culpa; et ita non indignisset redemptione et salute, quae est per Christum, de quo dicitur Matth. I: 21: Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Hoc autem inconveniens est, quod Christus non sit salvator omnium hominum, ut dicitur I ad Thim. 4. Unde relinquitur quod sanctificatio beatæ virginis fuerit post ejus animationem." Mariam igitur contraxisse quidem originale peccatum statuit, sed ab eo fuisse mundatam antequam ex utero nasceretur. »Quam per sanctificationem peccati fomes, qui consistit in inferiorum virium rebellionem ad rationem remansit quidem secundum essentiam, ligatus tamen quoad exercitium, sive operationem, usque ad filii Dei conceptionem in qua fuit totaliter sublatus, quoniam ibi primo refulgere debuit peccati immunitas, quae ex prole redundavit in matrem." Facile hinc sequebatur, ut Mariam nunquam peccasse statueret, quoniam licet in beata virgine post sanctificationem in utero remanserit fomes peccati, ligatus tamen erat, ne prorumperet in aliquem motum inordinatum, qui rationem praeveniret. Quam ob rem simpliciter fatetur eam nec mortale nec veniale peccatum unquam commisisse: hoc enim in filii ignominiam quodammodo vergeret. »Beata enim virgo fuit electa divinitus, ut esset mater Dei, et ideo non est dubitandum, quin Deus per suam gratiam ad hoc idoneam eam reddidit. Non autem fuisset idonea mater Dei, si peccasset aliquando: tum quia honor parentum redundat in prolem, unde et per appositum ignominia matris ad filium redundasset, tum etiam quia singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab ea carnem accepit. Et sic etiam majorem beata virgo gratiae prae ceteris plenitudinem a Christo obtinere debuit, quae mater illius esse meruit, qui est omnis gratiae origo ac principium."



poris supra omnem dubitationem evecta. Quae contra hoc commentum sane afferri possunt dubia, facile omnia solvuntur animadversione simplicissima, quod in quodam sermone Ephesini Concilii dicitur: »Natura post partum nescit ulterius virginem; gratia vero et parientem ostendit et matrem fecit, et virginitati non nocuit. Fuit ergo mater Christi virgo in partu.» Nil difficultatis affert, quod non videtur vero corpori, sed phantastico convenire, ut alia, qua ceteri homines nasceretur ratione; »nam Christus veritatem sui corporis demonstrare voluit ita ut etiam ejus divinitas declararetur; et ideo permiscuit mira humilibus.» Verum non tantum in partu, sed etiam post partum permansit Maria virgo; nisi enim haec statuimus, vel Christi perfectioni vel matris sanctitati derogamus, secundum Thomae mentem, aut Spiritui Sancto injuriam inferimus. Caveamus igitur: Si Thomam audis huic doctrinae etiam suffragatur Vetus Fœdus. Ezechiel enim cap. XLIV: 2 loquitur de porta templi novi, cujus magnitudinem accurate describit, et per quam transgressus est Dominus Deus Israel. Quomodo tanti acuminis vir hunc etiam locum ad suam comprobendam sententiam afferre potuerit me nescire ingenue fateor. Tanta erat vis auctoritatis, cui subjectus erat!

Quidquid hujus rei est, doctrina Thomae Aquinatis de sanctificatione Mariae in utero intactam relinquit redemptionem Christi; quae vero nunc a nobis tractanda est sententia eam plane tollit, specie tantum redemptionis relicta. In eo discrimen Thomae Aquinatis sententiam inter et Duns Scoti quaerendum est, quod hic statuit Mariam *conceptam* esse sine peccato originali, ille vero eam absque vitio originis esse *natam*. Quibus causis ductus fuerit Duns Scotus ut hanc sententiam amplecteretur, inquiremus post expositam ejus doctrinam, quam paucis verbis complecti possumus.

Omnia a Dei voluntate absoluta pendere statuit 1). Quem posuit

1) Dicit enim: »nulla lex est recta, nisi quatenus a voluntate divin

Deus rerum ordinem, mutare potest, quando vult. Haec ad nostram rem referens, Deum efficere potuisse statuit Eumque efficere decuisse, vel ut Maria nunquam peccatum originale habuisset, vel ut punctulo tantum temporis in eo versata fuisset, vel ut diutius caruisset immunitate a peccato originali, postea vero eam accepisset. Quarum omnium, quae dici possunt possibilitatum, prima certe fuit praeferenda, quoniam caeteris mirabilior erat: et hanc ob rem Deus tanta affecerat Mariam gratia, ut nunquam peccato originali subjecta fuisset. Quis est, qui tali argumento victus non statim concedat? Quis est qui Duns Scotum nomine dignum non censeat Doctoris Subtilis, quod propter hujus dogmatis defensionem accepit? Sed plura etiam attulit argumenta, quibus Christi redemptionis necessitatem vindicare conatus est. Quamquam ipse confitetur, effatum Pauli, *quod omnes in Adamo peccaverunt* Mariae ἀναμαρτησίαν excludere, neque etiam Augustini, Hieronymi, Bernardi et Anselmi auctoritatem huic sententiae favere, alias rationes esse autumat quibus Mariae immunitatem a peccato originali adscribi debere probetur. Christum enim perfectum redemptorem non fuisse affirmat, nisi aliquem perfecte id est ab omni poena liberasset. Quum vero maxima sit poena, minimo etiam temporis punctulo Dei gratia destitutum esse, decuit ut Christus aliquem ita liberaret, ut nunquam Dei gratia careret. Perfectissimum ergo actum mediandi in Mariam effecit Christus. Quae hisce verbis exprimit: »Si Christus est perfectissimus mediator, habuit perfectissimum gradum mediandi possibilem respectu aliqujus personae; atque adeo respectu Mariae matris suae. Hoc autem non esset, nisi meruisset, eam praeservari a peccato originali 1).» Sed perfectissimus adeo Christus omnium homi-

acceptatur. Et tunc potentia ejus attributa non se extendit ad aliquid aliud, quam ad illud, quod ordinate fieret, si fieret. . . ordinem ita posset voluntas divina statuere, sicut aliter potest agere.»

1) Duns Scotus III. Sentent. dist. 3 quaest. 1. etc.



num mediator haberi nequit, atque revera Mariam non liberavit, quoniam morbo liberare aliquem, quo minime laborat, plane absurdum sonat. Quum hac de re postea plura dicturi simus, sufficiat hic animadvertere, Christi redemptionem adeo a Duns Scoto parvi duci. Quae vero cum toto Duns Scoti systemate apte congruunt. Ex illius enim mente Christi satisfactio per se non sufficiens, valuit quantum a Deo fuerit acceptatum. Christi ergo merita non tanti erant, ut hominem possent servare. Sed Deus acceperat meritoriam Christi mortem tamquam sufficientem; atque igitur a Dei denuo pendebat voluntate, homines servare necne, Mariam immunem habere a peccato necne. Talis fuit Duns Scoti sententia, quam fere omnes e Franciscanis sectati sunt, quorum ipse addictus erat ordini <sup>1)</sup>. Dominicani contra Thomam sequebantur. Quòd si alicui mirum videatur, utriusque sectatores sententiam suam tam acriter tuitos esse, responsum ei sufficiat, plurimum apud omnes semper valuisse auctoritatem magistri <sup>2)</sup>. Restat tamen quaestio unde causae sint repetendae, cur duumviri illi variam amplexi sint sententiam. Temporis indolis rationem habeamus, unde nobis patebit, si quid video, varium utriusque systema varios redolere philosophandi modos, Realismum et Nominalismum. Quae jam in Graeca philosophia lis orta erat de ideis, utrum extra mentem nostram revera existant necne, haec etiam de quo agimus seculo, denuo agitabatur. Notum est Platonem

1) »Hic quum intra possibilitatis limites sese cohibuerit et ad commune eorum, qui thesin, non aliunde quam per absolutam Dei potentiam probare valent, asylum se receperit, meminisse debuisset, quam sit res periculi plena sine scriptura disputare: meminisse debuisset, quod Deus non omnia quae potest, etiam efficere velit. Tò velle igitur Dei vel probare vel digito potius comprimere labellum, quam litigorum fores temere pandere debuisset.» Calixtus B. M. V. Immaculatae Concept. Historia pag. 91. seqq.

2) MENSINGA. l. I. 111. p. 7.

priori, Aristotelem posteriori favisse sententiae. Qui priori adhaerebat, statuit Deum omnium quae adsunt non nisi unum ἀρχέτυπον fecisse, cui singulae respondere debeant res, atque igitur cognitionem nostram peti debere ex hisce ἀρχέτυποις, sive exemplis, sive ideis aeternis (notionibus universalibus). Aristoteles contra negans universalia ante res nec fidem habens iis ideis, ex quibus secundum Platonem res procreatae erant, nostram docuit proficisci cognitionem a contemplatione partium rerumque quae existunt. Theologi medii aevii de eadem quaestione vehementer disputarunt. Fuerunt nonnulli, qui Platonem secuti, revera objective exstare notiones statuerent, quibus illuminata nostra mens res ipsas cognitae habet. Illi realistae dicebantur. Alii tamen docebant Deum nil fecisse nisi res individuales, ac per experientiam tantum nos ad cognitionem pervenire posse. Hi nomine utebantur Nominalistarum. Priores notionem humanitatis revera existentem habebant: quae notio proprietatibus gaudebat, quarum cognitio necessaria erat ad rite percipiendam ideam humanitatis. Cuivis individuo propriae esse debent hae proprietates; in eo enim humanitatis notio patet. Nulli igitur individuo adscribi possunt proprietates, quae ipsi humanitatis notioni minime insunt. Quum ergo non congruat cum idea humanitatis, quod plane sancta sit ac sine peccato, cui omnes subjecti sunt homines, concepta, Realista nunquam perfectam a peccato originali immunitatem Mariae tanquam uni individuo, respondententi notioni humanitatis adscribere potest. Contra vero Nominalista, qui a singularum rerum contemplatione initium facit, omnesque res individuales sine nexu observat, nulla re impeditur, quominus proprietates tribuat aliis, quibus careant alii. Hic igitur sine ulla difficultate Mariae perfectam a peccato originali immunitatem adscribere potest. Quae hic disputavimus eo valent, ut comprobetur mea sententia, quod Thomae Aquinatis et Duns Scoti hac de re sententiae referunt colorem, qua scriptae sunt, aetatis. Prio-



rem fuisse Realistam, posteriorem vero Nominalistam, facile constat 1). Si quis vero refutat, quod etiam Thomas nonnullis ornat Mariam proprietatibus, quibus alii non gaudent, videat quomodo singulari Jesu Christi operationi id tribuat, omniaque redundare fecit ex vi redemptionis et gratiae Christi, quibus Mariae sine peccato conceptae non opus fuerat. Videat etiam, quam caute suam enuntiet sententiam, Ecclesiae ductus auctoritate cui resistere noluit. Animadvertat contra quomodo Duns Scotus immaculatam conceptionem revera ad Dei voluntatem referat, ita ut ab Eo tantummodo hanc illamve ei tribuere proprietatem pendeat. Realismum ergo ac Nominalismum et in viam, quam ingressi sunt, et in conclusionem, ad quam pervenire, magnam exercuisse vim satis patet. Quae observatio etiam clavis esse potest ad quaestionem quae mox orietur, undenam factum sit, quod magis magisque hoc dogma invaluerit in Ecclesia Romana, nostrisque temporibus sit annuntiatum. Nunc vero ad historiam redeamus, ut nobis pateat quomodo Doctorum partes exceperint Universitates et Concilia, atque eorum opera novum dogma majorem gradatim auctoritatem nactum sit.

---

#### UNIVERSITATUM ET CONCILIORUM AUCTORITAS.

##### A SEC. XIV. AD SEC. XVI.

Quae magna animorum contentione inter doctores agitata fuit controversia, mox in scholas prodiit. Praevaluit in dies magis sententia, virginem sine peccato originali conceptam esse exhibens, nec tamen aberant, qui maximo studio contrariae adhaeserunt opinioni. Qui ordini Dominicanorum addicti erant, Thomam Aquinatem sequentes, acerrimam cum fratribus mino-

Vid. A. PIERSON de Nominalismo et Realismo disquisitio.

ribus agebant pugnam ad quam, magna pro parte ex aemulatione ortam, diversae hac in re opiniones ansam praebuerunt. Omnis generis argumentis nova res defendebatur a Franciscanis, rejiciebatur a Dominicanis 1). Eodem seculo XIV sancta Bregitta revelatione divina certior facta erat de immaculata conceptione virginis Mariae; et sancta Catharina patefactione gaudebat, plane contrariam docente sententiam. Maximae populi parti novum prorsus placuit dogma, quamquam Dominicani, vi et auctoritate, quas exercere poterant, firmum semper manserunt propugnaculum contra conciliorum vel Papae potestatem. Invitae huic caussae se immiscuerunt scholae theologicae, quae inquirerent, quid hac de re esset statuendum. Universitas Parisiensis, cui praerat Petrus de Alliaco, maxime odio habens Dominicanos cathedras ambientes, a<sup>o</sup>. 1387 pugnam iniit cum Montesono, qui publice immaculatam conceptionem Mariae denegaverat, dicens tantum contra scripturam sacram esse unum hominem eximi a peccato originali praeter Christum, sicut si decem homines ponerentur exempti 2). Clemens VII Avenione sedens, ad quam profugit Montesonus nihil certi hac de re statuere voluit; et Universitas Parisiensis, quamquam ipsi rei addicta, propter magnam oppositionem, sententiam suam palam profiteri nondum ausa est. Verumtamen ne sancti Thomae doctrinae adversari censerentur, iisdem ac Thomas licet usus esset argumentis Montesonus, publice edidit: Nos millesies diximus, et ut videmus non sufficit, qualiter s. Thomae doctrinam in dicta nostra condemnatione nequaquam reprobamus: sed hunc ejusque fautores, doc-

---

1) Utriusque ordinis nonnulli fuerunt, qui haud jurarunt in verba magistri. Quorum magnum numerum citat HEINRICH DENZINGER: die lehre von der unbefleckten Empfängnisz der seligsten Jungfrau Maria, pag. 13 seqq.

2) Vid. J. FERRONE de immaculato B. V. Mariae Conceptu, pag. 12 seqq.



trinam ejus ad distortum fideique absonum sensum adaptantes, aut ultra quam fieri debet contra ejusdem doctoris documentum dilatantes, condemnandos audacter asserimus 1). Minus prudenter hac in re egit concilium Basileense a<sup>o</sup>. 1431—1443 habitum, quod tamen excommunicabatur propter magnas quas instituere voluit reformationes a Papa Eugenio IV, qui Cardinalem Turrecrematam misit Dominicanum, ut spinosae illi quaestioni lucis aliquid afferret. Priusquam vero hic sententiam suam profiteretur, nihil ab Ecclesia quod ad fidem attinet definiri posse, nisi quod aperte atque expresse in sacris litteris, aut traditione contineatur, aut saltem intimo connectatur nexu cum eo, quod expresse revelatum est, abiit, sequentique anno decrevit Synodus immaculatam beatæ virginis conceptionem ab omnibus Catholicis amplectendam esse (1439) 2). Magnam stabilita hoc decreto immaculata conceptio in scholis theologicis nacta est victoriam, praesertim quoniam praestantissimi viri Gerson, de Alliaco, Nicolaus de Clemangis aliique novum dogma acceperant, ut Dominicanorum infringerent auctoritatem. Atque hoc, quod maximi nominis viri huic rei calculum adjecerant, incredibile dictu est, quantum postea attulerit, ut dogma ubique fere invaleret et Maria in dies magis extolleretur.

1) BOULAY, Hist. Universs. Paris. T. IV. p. 622.

2) MANSI, Coll. Conc. T. 29. p. 183. »Diligenter inspectis auctoritatibus et rationibus, quae jam a pluribus annis in publicis relationibus ex parte utriusque doctrinae coram Synodo allegatae sunt, aliisque etiam plurimis super hac re visis, et matura consideratione pensatis, doctrinam illam disserentem gloriosam virginem Dei genitricem Mariam, praeviente et operante divini Numinis gratia singulari, nunquam actualiter subjacuisse originali peccato, sed immunem semper fuisse ab omni originali et actuali culpa, sanctamque et immaculatam, tamquam piam et consonam cultui ecclesiastico, fidei Catholicae, rectae rationi et Sacrae Scripturae, ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam et amplectendam definit et declarat Synodus, nullique de cetero licitum esse in contrarium praedicare seu docere.»

Nec minus sensui cuidam mystico indulgebant homines, omnes in Mariam accumulantes honores. Inter eos inprimis fuit Bernardinus de Bustis 1), qui librum scripsit *Mariale* dictum, in quo nonnulli inveniuntur sermones de conceptione Mariae atque etiam *officium immaculatae conceptionis gloriosae virginis Mariae*. Alii vero Thomae doctrinam contra objectiones tuiti sunt inter quos Vincentius Blandellus, libro edito *de veritate conceptionis gloriosae virginis Mariae*, cujus argumenta eodem fere redeunt, ac ratiocinatio Thomae Aquinatis 2). Interea major ab omni parte fuit oppositio, quam quod absoluta decisione huic rei finis imponi posset. Ipse quidem papa Sixtus IV novae favit sententiae, uti apparet e constitutione a. 1477 edita 2). Verumtamen, quamquam Franciscanorum ordini addictus, nihil contra Dominicanorum auctoritatem hac in re potuit efficere, neque etiam nomine uti ausus est conceptionis immaculatae virginis, sed quidem conceptionis virginis immaculatae. Ad compescendos tumultus a. 1483 denuo edidit constitutionem, in qua anathema statim indixit cuicumque praesumentem affirmare, eos qui crederent aut tenerent Dei genitricem ab originalis peccati macula sua conceptione praeservatam fuisse, propterea alicujus haereseos labe pollutos fore vel mortaliter peccare. Deinde idem ille Pontifex simili poenae ac censurae subjicit eos, »qui ausi fuerint asserere, contrariam opinionem tenentes,

1) MENSINGA, l. l. T. III: 126.

2) VINCENTIUS BLANDELLUS, dicit pag. 133 »opinio de conceptione immaculata est fidei divinisque litteris adversatissima, resistit fundamentissimae fidei Christianae, fidei fundamenta subvertit.»

3) »Dignum, debitum reputamus, universos Christi fideles, ut omnipotenti Deo de ipsius immaculatae virginis mira conceptione gratias et laudes referant, et instituta propterea in Dei ecclesia, missas, et alia divina officia dicant, et illis intersint, indulgentiis et peccatorum remissionibus invitare, ut exinde fiant virginis meritis et intercessione divinae gratiae aptiores.» Extravag. Comm. lib. III. tit. XII. c. 1.



videlicet gloriosam virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, haereseos crimen vel peccatum incurrere mortale, quia nondum sit a Romana Ecclesia et apostolica sede decusum." Eandem vel similem viam ingressi sunt omnes, qui eum secuti sunt Pontifices Romani, quippe qui temporis opportunitatem exspectaverint. Plures adhuc erant, quibus immaculata conceptio haud placebat; et nisi iis etiam grata esset, fieri potuisset ut Papae auctoritati debitus non tribueretur honos. Omnium sequi voluit Pontifex consensum, et nonnullis adversari, sapientis non esse existimavit. Universitates contra, praesertim Parisiensis, omni qua poterant vi Mariae conceptionem immaculatam defendebant ac strenue vindicabant, atque ad commendandam suam sententiam talibus usae sunt argumentis: Ecclesia statuit festum conceptionis generaliter celebrandum; ergo conceptio ejus fuit sancta, et per consequens immaculata, ergo sine peccato originali. Nec propter hoc culpandus est divus Bernardus, nec s. Thomas, s. Bonaventura caeterique doctores cum magno moderamine oppositum opinantes, quoniam eorum tempore hoc licuit, quoniam nulla determinatio vel concilii vel apostolicae sedis facta fuit <sup>1)</sup>. Minime vero satis esse duxerunt Universitates, ut maximo ardore pro sententia sua certarent; sed eo processerunt, ut exemplum secutae universitatis Parisiensis, a<sup>o</sup>. 1497 multae ab omnibus sociis jusjurandum postulaverint, quo pollicerentur, immaculatam semper se defensuros esse conceptionem; neminem porro sacro suo collegio adscribi passae sunt, nisi se hujus religiosae doctrinae assertorem strenuumque propugnatorem semper pro viribus futurum simili juramento profiteretur <sup>2)</sup>. Fuerunt enim, ut dicebant, multi, qui eo tempore ejusmodi piam et religiosam doc-

<sup>1)</sup> GABR. BIEL, Collect. libr. III. Dist. III. Q. 1.

<sup>2)</sup> A. LAMBRUSCHINI: Ueber die Unbefleckte Empfängnisz Mariä, p. 26 seqq.

trinam, universalis Synodi et Ecclesiae, quae juxta Christi promissionem errare non potuit, judicio auctoritateque probatam, aut impugnare aut in dubium vocare non vererentur; implacabile impiissimumque bellum adversus piissimae Dei genitricis eximiam dignitatem gerentes. Contra quos, quae se opposuerunt, Universitates numero erant centum et quadraginta quatuor, quae pedetentim Duns Scoti sententiae calculum adjiciebant, quarumque quadraginta novem pro tuenda immaculata virginis conceptione dira quaevis sanguinis etiam effusionem pati velle pollicitae sunt. Ad hoc jusjurandum promulgandum, ansam praebuit Joannes Veri, Frater Ordinis Dominici, theologus Parisiensis. Qui quum a<sup>o</sup>. 1497 in festo conceptionis professus esset, eandem castissimam Dei genitricem non fuisse praeservatam ab originali peccato, sed post conceptum mox purgatam et mundatam a Deo, sententiam oppugnavit Romanae Ecclesiae, omniumque fere Parisiensium Doctorum, qui docebant praeservatam illam esse semperque immunem ab omni macula delicti tam originalis quam actualis in aeternum. Quam ob rem Joannes Veri coram judicio arcessitus suam revocare sententiam coactus est; deinde liber missus. Ab hoc inde tempore Universitas Parisiensis juramentum postulavit ab omnibus suis Doctoribus. Quae omnia, uti inservierunt ad populi oculos in Mariam convertendos, ita auctores etiam excitarunt, qui omni dubitatione certiores reddere studebant eximiam illam Virginis virtutem.

Immaculata conceptio a Franciscanis aliisque totius cultus Mariae cardo et veluti centrum habebatur, ad quod cuncta essent referenda <sup>1)</sup>. Permulti novas excogitarunt relationes in Sanctae Mariae honorem, et praesertim monachi, intimo erga eam fla-

---

<sup>1)</sup> Quae de *ὑπερδουλείᾳ* prodierunt scripta, maxima pro parte de imm. conc. agebant ut verbo tantum enumerem: *Paulum a S. Maria*, *Joannem a Meppen*, *Arnoldum Bostium*, *Robertum Gaguinum*, postea *Petrum Bardum*, *Dionysium Fabri* aliosque.



grantes amore, omnis generis miracula ei adscribebant, quibus credulae plebis fidem confirmarent. Neque ab hoc opere se abstinerunt, qui ab altera parte stabant Dominicani, ut suam stabilirent sententiam ceterorumque de industria refutarent. Inter eos maxime hoc tempore memorabilis fuit Wigand Wirthius, acerrimus S. Thomae doctrinae propugnator, cuius caussa Dominicani miracula instituerunt Joanni Jetsero, quae tamen detecta ansam praebuerunt ad comburendos quatuor Dominicanos in civitate Bernensi a°. 1509 1). Quo facto Dominicanorum res multum cepit detrimenti; numerusque eorum, qui immaculatam conceptionem tuebantur, in dies crevit.

Ad summum culmen quum evectus esset cultus Mariae — ecce, initium cepit sacrorum instaurationio. Cultus Mariae in Helvetia inter causas fuit, cur novum paraverit Zwinglius rerum ordinem. Magna hic beatam virginem affecit clade. Quum summum ex illa reformatione Pontificii metuerent damnum, id egerunt ut sententiam suam stabilirent contra novas, quae exortae erant, opiniones. Sic exstitit concilium Tridentinum 2). Expectandum sane fuisset, quod haec Synodus firmam de tanti momenti edidisset opinionem, exemplum secuta Universitatum; verum hoc non curavit, leviter tantum, quae ad Mariae cultum pertinent tangens. Pluribus quidem de nostro egit dogmate, unde tamen satis luculenter apparet Concilium hac de re nihil pro certo affirmare et definire voluisse. Declaravit enim, praecurrentibus potissimum Pio V et Cardinali Pallavicino, non esse suae intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam Dei genitricem virginem Mariam 3),

1) Vid. GIESSLER, II. Abth. 4. p. 342.

2) Vid. J. PERRONE, de imm. B. V. M. Conceptu, p. 16 seq.

3) A nonnullis haec verba sessionis quintae spuria habentur. Vid. quae hac de re inveniuntur in: Bemerkingen van een godgeleerde over de bul van Pius IX. p. 41. seq.

sed observandas esse constitutiones felicitatis Sixti IV, sub poenis in iis constitutionibus contentis, quas innovat. Fortasse timebant Pontifices, ne plures ab iis desciscerent, si hanc rem a multis Romanae Ecclesiae ceterum addictis oppugnatam, decreto suo stabilire vellent. Fortasse etiam major Patrum Concilii Tridentini pars Franciscanorum opinioni ex animo haud favebant, sicut Melchior Canus, qui immaculatae conceptionis dogma neque ex Sacra Scriptura neque ex traditione erui posse affirmavit, et acriter invectus est in Concilium Basileense, quod doctrinam illam tanquam piam et consonam cultui ecclesiastico, fideique Catholicae declaraverat. Nec tamen omisit Concilium omnes admonere fideles, ut auxilium peterent a Sancta Dei Matre, ut nobis sua intercessione conciliet Deum, bonaque tum ad hanc tum ad aeternam vitam necessaria impetret 1). Verumtamen, quoniam Synodus rem non definierat nemo a disputando se abstinere voluit, ita ut magnus exinde in Ecclesia exoriretur tumultus, quod factum non esset, si auctoritate sua privilegium, quod dicunt, beatæ virginis tribuere ausa fuisset. Neque turbæ nec scandala finem habuerunt. Pius V Pontifex maximus a. 1570 constitutionem edidit, ut cohiberet contentiones in populo, quæ hujus quæstionis occasione quotidie oriebantur. Vetuit ne cujuscunque ordinis, gradus, conditionis vel dignitatis existeret quisquam, in popularibus concionibus vel ubi promiscue virorum et mulierum multitudo convenire solet, de hujus controversiæ alterutra parte disputare, rationibus vel Doctorum auctoritate, asserendo propriam sententiam 2); et con-

1) Sess XXV.

2) Lambruschini veretur ne quis ex hisce verbis efficiat, Pium V haud favisse immaculatae conceptioni. Quam ob rem dicit (l. l. p. 30): »Und nun musz hier wohl bemerkt werden, dasz es grade der Pabst Pius V war, welcher im Römischen Brevier und im Kirchenkalender das Fest der Empfängnisz Mariä als ein gebotenes von der ganzen Kirche zu feierndes Fest eingesetzt hat. Durch diese Thatsache scheint



trariam refellendo aut impugnando, vel de hac ipsa quaestione cujusvis pietatis aut necessitatis praetextu, vulgari sermone scribere vel dictare praesumeret. Qui contra fecisset, suspensionis poenam a divinis absque nova declaratione ipso facto incurreret. Optimum sane documentum, quantum ad vitam populi moralem rite instituendam dogma hocce valere posset! Quidquid est, et Universitates et Concilia fautorum opinionis affirmantis numerum quam maxime auxisse, omnibus patet. Multum vero abfuit, ut omnes hanc sententiam amplecterentur; Dominicanorum infringere auctoritas necesse erat; et ad hanc rem promovendam opem suam tulerunt Jesuitae, de quibus nunc monendum est, quorumque maxime operâ humana cogitandi libertas externa cessit auctoritatis vinculo.

---

JESUITARUM AD HOC DOGMA COMMENDANDUM ATQUE  
INCULCANDUM CONATUS.

A SEC. XVI. AD SEC. XVII.

Pii V constitutione edita, scandala nihilominus et lites in dies graviora fervebant. Cujus rei causa inveniri certe potest in vi et efficacitate quam exercebant Jesuitae, qui societate, quam condiderant, ante omnia id agebant, ut cuncta alerent ac foverent, quae Reformationi maxime erant opposita. Propterea omni, quo poterant amore, amplexi sunt cultum Mariae, quoniam in eo indolem Catholicismi observabant, omnesque vanos reddere studebant Reformatorum conatus, quibus reginam coelorum imperio pellere volebant. Ipse ordinis conditor Ignatius Loyola arma sua Mariae consecraverat, atque apparitionibus

---

mir dieser Palst hinlänglich an den Tag gelegt zu haben, dasz er die Verehrung der unbeflecten Empfängnisz Mariens zu begünstigen beabsichtige.

bene multis Beatae virginis, quae ipsi contigissent, gloriabatur. Amicus Loyolae, Franciscus Xaverius, majore etiam erga Mariam ductus amore, votum fecit beatae virgini, ut conceptionem ejus immaculatam contra omnes defenderet, qui hanc opinionem oppugnare auderent. In eo enim Franciscanis assentiebantur Jesuitae, quod hi etiam fere omnes statuebant Mariam sine ulla labe peccati conceptam fuisse. Quibus vero argumentis hi ducerentur ad suam comprobendam opinionem, operae pretium est ut indagemus. Principem ergo hujus ordinis dogmaticorum, magnique ingenii virum disputantem audiamus Cardinalem Bellarminum <sup>1)</sup>. Ne temerarius videar asserendo talis etiam viri argumenta haud magni ponderis esse; lubenter fateor hujus rei culpam minime in Bellarmini ingenii tenuitate quaerendam esse, sed in caussa desperata, in qua defendenda versatus est. Ipse etiam modeste confitetur, quamquam rei plane addictus, piam admodum esse ac probabilem sententiam immaculatae conceptionis, atque adeo contraria sententia longe probabilior. Ceterum breviter demonstrat, non haberi apud Catholicos pro re certa et explorata, ac fide Catholica tenenda, beatam virginem sine peccato fuisse conceptam, nec minus, hanc ipsam opinionem ullo modo esse haeticam, vel erroneam judicandam. Lubenter auctoritate sua hanc sententiam stabilisset, si praesidii aliquid invenisset in Sacra Scriptura vel in Ecclesiae decreto. Ex ejus ratiocinatione satis patet, decuisse Dei matrem ab omni actuali immunem esse peccato, ita si fieri potuit, ab originali. Et fuit haec ratio, quae ad eandem fere eum duxit argumentationem, qua prius usus fuerat Duns Scotus. Omnia refert ad absolutam Dei voluntatem; nam quum Deus statuerit, sanctissimam hanc virginem evehi ad summam dignitatem, ut omnibus puris creaturis etiam angelicis praestet, de

---

<sup>1)</sup> In opere: de Controversiis Christianae fidei adversus hujus temporis haeticos.



qua re secundum ejus sententiam nulla esse potest controversia, certe Deo dignum erat sustinere ut nullum sit privilegium alicui purae creaturae collatum, quod non etiam huic virgini conferretur, nisi forte conditioni, statui, naturae aut sexui repugnaret. At sanctificari in ipsa creatione datum est primis parentibus, sanctificari autem in ipsa creatione et nunquam ullo pollui peccato, datum est angelis sanctis, et privilegium hoc conditioni, statui, naturae, sexui beatæ virginis non repugnat: igitur pium est credere, ejusmodi privilegio Dei matrem minime caruisse. Accedit etiam, quod mater Christi singularem affinitatem et conjunctionem cum ipso habuerat; et quum tam honor quam ignominia matris redundet in prolem, non potuit non Maria sine ulla peccati labe esse concepta. Deus igitur potuit beatam virginem a peccati originalis contagione praeservare; probabile autem est Eum etiam hoc voluisse: probabile igitur est, eam ab ejusmodi contagione fuisse praeservatam. Potuisse enim Deum hoc facere, negari nequit. Nam neque ex parte Dei, neque ex parte creaturae ulla repugnantia cernitur. Non quidem ex parte Dei, quia est omnipotens, et non est impossibile apud Deum omne verbum. Non item ex parte creaturae, nam nihil obstat, quominus eodem temporis puncto, anima rationalis creetur a Deo et gratia repleatur. Sic columnae, quibus dogmatis aedificium superstruit, eadem sunt ac Duns Scoti, potentia et voluntas Dei. Et qui eum refutare audet, silentium ei imponitur responso: Deus omnia potest. Quis vero dubitat posse Deum efficere, ut aliquis reipsa non moriatur, quamquam ex Adamo non solum peccatum sed etiam mortem in totum genus humanum redundasse ob Dei decretum credimus? Quae igitur monui de Duns Scoti systemate, prorsus etiam valet de sententia Bellarmini, quam cum illo satis convenire videbimus vel demonstrabimus, postquam cetera attulerimus Bellarmini argumenta. Quae petiit ex Scriptura, ex Patribus et ex Ecclesiae consensu, multo leviora sunt, quam quae ex ratione sunt hausta. Nam in

antecessum ipse confitetur exspectandum non esse, ut disertum Dei verbum afferat, aut certam aliquam Ecclesiae definitionem praebeat. Id enim si facere posset, non solum pie ac recte existimari hoc diceret, sed pro haereticis haberet, qui dissentirent. Attamen duas, quas vocat insignes in Litteris Sacris figuras commemorandas censet. Altera, de qua jam egimus, docet Evam Mariae typum fuisse et figuram, atque igitur matrem omnium viventium sine peccato concipi debere, sicut Eva sine peccato fuerat. Altera ex epistola ad Romanos C. V et priore ad Corinthios C. XV petita, ostendit primum hominem Christi figuram gessisse, vel formam fuisse futuri, id est Cristi. Constat autem primum hominem non ex concubitu maris et foeminae generatum, sed ex terra, eaque nondum maledicta, ab ipso Deo conditum fuisse. Oportuit igitur ut secundus homo, qui similiter non ex concubitu maris et foeminae, sed opera Spiritus sancti formandus erat, e terra non maledicta id est ex matre virgine, quae omnis maledictionis, ac per hoc omnis peccati expers esset, formaretur. Qui deinde afferuntur loci ex Patribus nullius fere sunt pretii, quum plerique immaculatam conceptionem non spectent, alii auctorum obscuriorum sunt dicta. Et quae probare vult ex consensu Ecclesiae facile refutantur iis, quae Historia ipsa in hoc conspectu nos docuit.

Tres Bellarmius commemorat rationes, quibus possit probari vel saltem probabile reddi beatam virginem originali peccato semper caruisse. Ex his sententiam suam eligens, hanc sic describit: Fuit quidem in lumbis Adami, et ceterorum parentum suorum peccato obnoxia, deinde rursus, quando concepta est in utero matris ante animationem, tempore illo, quod inter primam conceptionem et infusionem animae rationalis intercessit; verum peccato, quod sana mente, tale dici potest, nunquam obnoxia fuit. Existimat enim sine peccati originalis macula fuisse animum beatæ virginis, in ipso etiam primo instanti suae creationis et infusionis in corpus, ita ut



nunquam persona illa actu existens peccatum habuerit. Atque hoc solum est, in quo beata virgo differt a caeteris, qui per gratiam Dei, Christique passionis meritum a peccato originali liberati fuerunt, quod alii communiter liberati sunt post nativitatem; aliqui pauci ante nativitatem, sed post animationem, ipsa sola in ipso instanti animationis. Exinde nobis etiam luce clarius patet discrimen ejus doctrinam inter et Thomae, qui, sicuti vidimus, Mariam liberatam fuisse a peccato ante nativitatem sed post animationem statuit.

Descriptâ sic sua sententia, ad argumenta procedit solvenda, quae adversus immaculatam beatæ virginis conceptionem afferri solent. Inprimis acriter invehitur in Chemnitium <sup>1)</sup>, proferentem S. S. locos, qui solum Christum excipiunt a peccato, patrumque testimonia, quae Mariam a peccato originali haud excludunt. Quos vero locos omnes refutat, sensu verborum pervertendo, vel adhibendis argumentis, quae praejudicatam ejus opinionem clare ostendunt. Audiamus, ut e multis hoc unum eligam, quomodo dubium solvere conetur, et quo saepe usi sunt hujus dogmatis adversarii. Augustinus dicit <sup>2)</sup>: »quisquis esse vel fuisse in hac vita aliquem hominem vel aliquos homines putat, excepto uno Mediatore Dei et hominum, quibus necessaria non fuerit remissio peccatorum, contrarius est divinae scripturae, ubi Apostolus ait: per unum hominem peccatum in mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pervasit, quoniam omnes peccaverunt.» Illud Augustini effatum commemorans, minime negat beatæ virgini necessariam fuisse remissionem peccatorum et Christum ejus fuisse ut ceterorum omnium, redemptorem; sed remissa ei fuisse peccata contendit, non in quae inciderat, sed in quae incidisset, nisi gratia Dei per Christi merita praevenisset. Supervacanea

<sup>1)</sup> Examen Concilii Tidd. Sess 5. p. 518.

<sup>2)</sup> In libro de perfect. justitiae.

sane omnis redemptio sic redditur, quae revera talis dici nequit. Hoc vero quo melius ab omnibus intelligeretur, illustratur exemplo, ex ipsius Augustini scriptis petito. »Quemadmodum si medicus videat tibi imminentem aegritudinem forte ex aliquo labore et dicat, parce tibi, sic te tracta, requiesce, his cibis utere, nam si non feceris, aegrotabis: tu autem si feceris, et salvus eris, recte dicis medico, liberasti me ab aegritudine, non in qua jam eras, sed in qua futurus eras.» Verumtamen hoc exemplum ad ejus sententiam probandam nullius esse pretii, quis est, qui non videt? Primum enim hoc exemplo non agitur de iis, quae creantur, sed de iis quae jam exstant, quod bene tenendum est. Deinde, si medicus videt imminentem aegritudinem, hujusce aegritudinis semina vel jam adsint vel non adsint necesse est. Si non adsint, remedio carere potest, qui aeger a medico dicitur. Si contrarium obtinet, hisce remediis quidem opus est; sed tum cadit perfecta immunitas ab aegritudine, sicuti etiam a peccato originali. Praeterea Christus venit ad servandos qui aegrotant: vocavit peccatores, minime vero justos; qui in Adamo non mortuus est, in Christo non vivificabitur 1). Sed ne justo diutius nos detineamus in refutanda Bellarmini opinione; eandem vidimus hunc amplexum esse sententiam quam Duns Scotus propugnaverat, eodemque fere modo probasse, vel, ut potius dicam, iisdem superstruxisse funda-

---

1) G. POINSOT (réfutation du dogme de l'immaculée conception, p. 35), hunc in usum adhibet versum 5. cap. III. Joh. explicans: L'Écriture dit que: »qui n'est né derechef, nisi qui renatus fuerit denuo, ne peut voir le royaume de Dieu; et qui ne renaît de l'eau et de l'Esprit ne peut entrer dans le royaume de Dieu. Ou la Sainte Vierge est née de nouveau, ou non. Si elle est née de nouveau, elle était donc née d'abord quand elle était née de nouveau: on ne peut point renaître à moins d'être d'abord né. Si elle n'est point née de nouveau dans le Saint Esprit, si elle n'a pas été régénérée, elle n'appartient pas à la grâce evangelique, qui est une grâce de régénération, et Jésus-Christ n'est pas son Sauveur.



mentis, Dei voluntate et potentia. Hinc mira inter hosce viros convenientia, quoniam eodem in philosophia nitebantur principio. Quod etiam omnibus fere commune est Jesuitis. Quum ratio humana de veritate judicare nequeat, nisi quatenus sensibus cognoscatur, aliud quid esse debet, cujus auctoritate nixi, ad fidem homines ducuntur. Haec auctoritas est Ecclesia, vel voluntas Dei ab Ecclesia patefacta. Nihil obstat, quominus Nominalista hanc illamve rem tamquam veritatem accipiat, dummodo persuasum sibi sit de voluntate et potentia Dei. Notiones enim aeternas, quae dicuntur, non habet; omnem suam cognitionem ex experientia haurire debet, et quae ex illa quaerere non potest, Ecclesia sua intercessione supplet, atque igitur facile fide amplectitur, quod Dei voluntati consentaneum cum hominibus illa communicavit. Sic externa duci auctoritate debet Nominalista, ubi ratio ejus *virtus est passiva, quae non operatur, nisi movetur ab objecto*. In eo indolem cernimus Jesuitismi, qui rationis jus non agnoscit, omnesque externae auctoritati subijcere vult; atque ergo mirum nobis esse nequit, quod iisdem ac Duns Scotus nitentes principiis, eandem hac in re amplexi sunt Jesuitae sententiam. Egregie horum consilio favit atque inserviit immaculata baetae virginis conceptio. Minuebatur enim pretium Sacrae Scripturae, quae hominum animos liberos reddit; promovebatur auctoritas Ecclesiae sive Papae, qui homines certiores facit de rebus, quae Sacris litteris non continentur. Praeterea cultus Mariae, eo culminis evectus, aeternam efficere debebat separationem Catholicismum inter et Protestantismum. Ambae, in quas divisa erat Ecclesia partes tempore reformationis, eorum opera quam maxime latissimeque scissae remanserunt. Ubi in altera parte veritas divina a Christo patefacta cum hominibus communicabatur, et ab iis sana ratione accipiebatur, in altera eheu! parte hominum oculi ab hacce veritate avertentur, ne nimis iis afferetur lucis. Et studium rerum sensibilibium, quod maxime apud homines valet, eo illos

perduxit, ut revera Christum negligenter, ejusque in loco Mariam ponerent, cui omnem suam transferrent amorem. Quo majori ergo Mariam Jesuitae afficere poterant honore, eo magis postponebantur ipse Christus et sana Evangelii doctrina; et hoc sibi volebant, ut sua morum doctrina primas ageret partes. Optime enim intelligebant, tenebras pati non posse lucem. Sic ope Jesuitarum subsequentibus temporibus immaculatam conceptionem in dies plures invenit cultores; quorum magna pars haud sine ira dogma propagavit, maximoque odio contra eos ducebantur, qui fidem huic sententiae denegabant. Hinc factum, ut multae exstiterint lites, quibus quum Paulus V, anno 1616 finem imponere vellet, constitutionem edidit, in qua poenis jam propositis addidit contra inobedientes privationem facultatis concionandi, publice legendi, seu docendi et interpretandi, et vocis activae et passivae in quibuscunque electionibus. Sed ne tunc quidem omnium tumultuum finem videns Gregorius XV, qui Ignatium Loyolam in numerum sanctorum recepit, anno 1622 decretum edidit, in quo, perspectis scandalis, jurgiis et dissentionibus quae manabant ex unicuique relicta libera facultate tenendi, atque etiam asserendi utramque partem, injunxit omnibus » ut in posterum, donec articulus hujusmodi a sancta sede apostolica fuerit decisus, non audeant in publicis concionibus asserere, quod eadem beatissima virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmative aliquo modo agere seu tractare 1).” Sed ne haec quidem sufficiebant ad animos componendos: Jesuitis enim, qui omnem suam vim et efficacitatem exercebant, se opposuerunt multi, qui in verba Thomae magistri jurare haud desierant. Tempus nondum aderat, quo omnium hominum animi satis praeparati erant ad Papae audiendum decretum, et sancta mater Ecclesiae nihil voluit statuere, nisi quod communi consensu acciperent omnes. Hinc factum ut animo suo rei adhaerentes, immaculatam

1) Constit: Eximii atque singularis fructus. 28 J. 1622.



conceptionem hoc tempore Papae amplectendam non decreverint. Sapientis enim est, opportunitates temporaque manere. Principium realismi, quod tempore reformationis pedetentim reliquit Romana Ecclesia, magis magisque evanescere debuit. Et tum demum Jesuitae compotes fierent voti, quod omnes Papae auctoritati subjicerentur fideles, quando effato hominis postponeretur aeternum verbum Dei.

---

CONCESSIO PAPARUM ET DOGMATIS TRIUMPHUS.

A SEC. XVII AD SEC. XIX.

Quo magis in dies crevit Jesuitarum auctoritas, eo magis coacti sunt Papae, ex ipsorum opinione suam mutare sententiam. Nec minus ipsa quaestio acrius exagitari coepit, multosque hominum animos vehementer vexavit, ita ut necessitas urgere ac postulare videretur, ut Pontifex Romanus sua intercederet auctoritate 1). Utrumque Jesuitarum auctoritas ac litium acerbitas effecit, ut Papae in constitutionibus, quas ediderunt, apertius faverint sententiae asserenti, animam beatæ Mariæ virginis in sua creatione, et cum corpore conjunctione, Spiritus Sancti gratia donatam et a peccato originali praeservatam fuisse. Attamen publice eam proferre nondum ausi sunt, et prudenter contrariam depressit Alexander VII sententiam, omnes accurate enumerans vias, quæ ad eam refellendam aut oppugnandam ineundæ erant. Poenas enim infligit iis, qui constitutiones seu decreta ita pergent interpretari, ut favorem per illas dictæ

---

1) PETAVIUS, Sec. XVII dicit in theol. dogm. T. VI. Libr. XIV. cap. II. 1. Quæ quidem quaestio postremis his temporibus acrius exagitari coepit et majores in quibusdam impetus excitavit animorum, quam bene consulta et provisiva ratio pateretur, adeo ut in partes et factiones atque identidem in similtates et propemodum internecina odia vis contentionis et ardor eruperit.

sententiae, et festo seu cultui secundum illam exhibito, frustrentur, vel qui hanc eandem sententiam, festum seu cultum in disputationem revocare, aut contra ea quoquo modo directe vel indirecte aut quovis praetextu, etiam definibilitatis ejus examinandae, sive Sacram Scripturam, aut Sanctos Patres, sive Doctores glossandi vel interpretandi, denique alio quovis praetextu seu occasione, scripto seu voce loqui, concionari, tractare, disputare, contra ea quidquam determinando, aut asserendo, vel argumenta contra ea afferendo, et insoluta relinquendo, aut alio quovis inexcogitabili modo disserendo ausi fuerint <sup>1)</sup>. Nec tamen satis erat, ut cogitandi libertatem hominibus adeo adimeret, vetuit etiam libros legi, in quibus dicta sententia, festum, seu cultus in dubium vocaretur, aut contra ea quomodocunque, ut supra, scriptum esset aliquid, seu locutiones, conciones, tractatus, et disputationes contra eadem continerentur.

Interea magnus dogmatis hujus propugnator hocce tempore in Gallia multos fide confirmavit animos, Jacobus Benignus Bossuetus, qui eloquentia sua alios etiam excitavit oratores, ut vires impenderent ad defendendam, omnique dubitatione majorem reddendam immaculatam beatæ virginis conceptionem. Ipse iisdem fere utitur argumentis, quibus antea Bellarminus, neque ea igitur repetamus necesse est. Peculiarem tamen viam iniisse videtur in explicando loco Paulino ad Romanos C. V: 12. Paulus enim secundum ipsius sententiam, consuetum rerum ordinem ob oculos habuit in describenda peccati propagatione, quo efficitur, ut qui ex Adami genere nascatur, peccato originali obnoxius sit. Nec tamen hanc regulam exceptionem pati non posse affirmat; et talis exceptio in Mariam cadere debuit, quia sanctissimi Dei filii erat mater. »Nonne enim nos etiam dicere solemus, inquit, ignem semper urere, solem semper, ut videtur, progredi, nullumque esse fluvium qui ad fontem redit?

<sup>1)</sup> Const: Sollicitudo omn. Eccles. VIII. Decembr. 1661.



Attamen tres juvenes Deus in mediis servavit flammis, solisque stagnavit cursum, omnibusque Israëlitis transitum paravit per aquas. Et sic etiam dicere potuit Apostolus, omnes in Adamo peccasse, quamvis ex iis exciperet beatam virginem Mariam" 1). Concedimus quidem Apostolum dicere hoc potuisse; vehementer tamen dubitamus num talem exceptionem in mente habuerit, quoniam nullibi talem de Maria profert sententiam. Quod attinet ad exempla, quibus suam illustrat vir celeberrimus opinionem, nullam probandi vim habent. Hoc enim praeter alia vitio laborat ejus argumentatio quod, quum ceteras in Sacra Scriptura commemoratas inveniat exceptiones ipse hanc faciat, Pauloque obtrudat sententiam, cujus nusquam mentio fit. Non opus est, ut plura e magno illo oratore citemus, qui Sacrae Scripturae verborum sensum in suae sententiae favorem tam impudenter detorsit, magisque ingeniose quam vere rem tractavit, quae nullis sanae rationis principiis nititur. Aliquot annis post, Balthasar Alf librum edidit, in quo Mariae immunitatem a peccato originali studuit vindicare. Quo certe libro inductus Clemens XI, aº. 1708 immaculatae conceptionis festum decreto suo confirmavit. Hinc factum ut hujusce dogmatis defensores singulari quodam imbuerentur ardore, ita ut anno 1729 in Bavaria exstiterit novus ordo immaculatae conceptionis, cujus generis ordinis primum exemplum dederat Beatrice de Sylva aº. 1484. Qui huic ordini addicti erant, votum ediderunt, quod ubique profiterentur Mariam sine peccato fuisse conceptam, vitamque suam perderent pro tuenda hac sententia. Illis se opposuit Ludovicus Antonius Muratori, ducis Modenae bibliothecaris, qui libro aº. 1741 edito ostendit Mariae auxilio non opus esse ad salutem, nec Scotisticam nec Thomisticam de illibata virginis conceptione sententiam certam esse; hominum autem vitam quam pretiosissimum esse Dei donum, quod contemnere nefas sit: et sic non

---

1) In oratione sacra de immaculata conceptione agente.

solum laude indignum esse, sed ne licere quidem jugulum carnifici offerre pro tuenda hujus sententiae veritate. In praefatione hujus libri, quem *Epistolas* vocat sive *Appendicem ad librum Antonii Lampridii de superstitione vitanda*, dicit idem auctor: »hic non agi de privata cujusquam hominis opinione, in latebris abscondita et paucis nota — quamquam et in istam exserere arma cuicumque liceret, quoties eam adversari rectae doctrinae persuasum sibi haberet — sed agi de opinione, quae jam in editis libris disseminata, populis integris omnibus ingenii conatibus e sacris suggestis suadebatur et inculcabatur, tamquam eximium Christianae pietatis experimentum, et quam propagare nonnulli quantis poterant viribus, pergebant.” Quibus omnibus lubenter indulgebant Papae, maximeque favebant. Quamquam ab apostolica sede nondum decisum, defendere dogma et propagare licitum habebatur, contrariam vero asserere sententiam, gravibus sub poenis illicitum. Romana vero Ecclesia contradictiones haud veretur, dummodo ad scopum suum tendat. Plures tamen adhuc voces contra immaculatam conceptionem audiebantur, quam ut Papa articulum fidei stabilire jam ausus fuisset. Et Benedictus XIV nihil aliud voluit statuere, nisi melius esse credere beatam virginem omni peccato immunem conceptam fuisse, quam postea nascentem esse sanctificatam <sup>1)</sup>. Nemini vero tantum debuerunt Pontifices quantum operae Jesuitarum, qui cum ore tum scriptis dogma propagaverunt. Ex multis ut enumerem Zaccariam et praesertim Benedictum Peazzam, qui magno edito libro <sup>2)</sup>, omnibus in contrariam partem ratiocinationibus finem imponere studuit. Interea a. 1773 Clemens XIV coactus est ut dissolveret ordinem societatis Jesu; sed revera existere non desierunt

1) Vid. ΥΡΕΙΣ, Gesch. der Chr. Kerk in in de 18<sup>e</sup> eeuw, T. XIV, p. 410.

2) Causa immaculae Conceptionis sanctissimae matris Dei Mariae agitata et conclusa.



Jesuitae, nec suam exercere auctoritatem. Magna pro parte recipiebantur in ordinem, quem Alphonsus de Liguori a. 1749 instituerat, ut veram tueretur Catholicam fidem, juventutisque in se susciperet institutionem. Iisdem hic utitur argumentis ac Duns Scotus praesertim convenientiae, maximosque inter Mariae immaculatae conceptionis propugnatores adnumerari potest 1). Praesertim in Hispania, ubi Franciscanorum doctrina victoriam jam reportaverat, crescente expectavit populus desiderio, ut novum annuntiaretur dogma. Ipsi etiam Hispaniae reges legationes miserunt ad Papam, ut ab eo hunc impetrarent favorem. Verumtamen haud sufficere illi potuit, unam tantummodo regionem doctrinae, quam diligebat, adhaerere; omnes ejusdem opinionis esse debuerunt, ne aliter sentientes offenderet, vel tantum paucis placere videretur. Nihilominus aliquid iis concedere voluit Gregorius XVI, pluribus permittens Hispaniae Episcopis, ut cantico, quod festi tempore conceptionis Mariae cantabant, adderent *Mariam sine peccato conceptam esse*. Nunc etiam ceterae diutius commorari volebant regiones. Sub eodem Papa Sancta Congregatio Rituum multis Ecclesiis Galliae, Americae, quae secundum Petrum de Alva nunquam non huic doctrinae adhaesit, Angliae, Italiae ac Germaniae indulgit, ut in praefatione festivitatis conceptionis beatae virginis vocabula: *et te in immaculata conceptione* et in litanis Lauretanis rogatio: *Regina sine macula concepta* adderentur. Quae concessiones effecerunt, ut ipsa res altiores in populi animos ageret radices, multique a cantando saltu haud difficili ad credendum pervenirent 2). Interea in pristinum ordinis statum restituti erant

1) LIGUORI, les gloires de Marie, T. I p. 18, cujus mentionem facit Poinsot, l. I. p. 82.

2) »Et c'est ainsi que se fabriquent les dogmes catholiques. L'hérésie les enfante, le peuple les accueille avec enthousiasme à cause de leur teinte de merveilleux, le pape commence par tolérer l'opinion nouvelle, il la favorise toujours plus ouvertement; il n'en fait pas un

Jesuitae a. 1814 sub Pio VII; a quo inde tempore incredibile est quam celeriter per omnes Europae regiones denuo proruperint. Ubique juventutis institutione potiti sunt, libros scripserunt, quibus doctrinam suam propagarent, omnique, quo poterant modo, auctoritatem vindicarunt Papae. Quum omnia adeo ad accipiendum dogma in promptu essent, ecce venit Pius IX. Cui valde proderat Jesuitarum industria, quoniam eo tempore susceperat imperium, quo omnes throni vacillabantur, populusque in Gallia ostenderat, quantum valere posset sua suprema potestas. Ubiunque venerunt Jesuitae, ad summum evehebatur cultus Mariae, nec omiserunt juveniles animos excitandos curare in immaculatae Mariae conceptionis honorem 1). Pius ipse IX ardentissimum se praestitit hujus dogmatis defensorem. Die 2 Februarii a<sup>o</sup> 1849 encyclicas misit litteras ad omnes Fratres Venerabiles totius Catholicae Ecclesiae, ut perscrutarentur, utrum amini jam satis informati essent ad novum audientium placitum necne. Quibus in litteris quam maxime laudat Mariam, cui omnia adscribit praedicata, quae sola in Christum quadrant. Quibus, quoniam hac de re nihil legebatur in Sacra Scriptura, effigere voluit, ut lucem superarent tenebrae, eundemque in scopum denuo edidit litteras, in quibus egit contra Sacrae Scripturae propagationem, et suam auctoritatem stabilivit, dicens se tamquam successorem Petri omni honore et laude dignum esse, se totius Ecclesiae omnisque fidei imperium tenere, omniumque Christianorum patrem esse et doctorem.

---

article de foi, mais il défend qu'on l'attaque. Bientôt il permet une fête en son honneur, il en vient à approuver des cantiques, des liturgies, qui y font clairement allusion. Un cantique, une fête, cela ne tire pas à conséquence. Puis, quand l'opinion nouvelle a une majorité de suffrages acquise, le pape en fait un dogme."

E. DE PRESSENSÉ, l'immaculée conception, p. 13.

1) J. A. WYLIE, gegenwärtiger Zustand und Aussichten des Papstthums, pag. 398 seqq.



Quibus de rebus certior fieri debebat populus, ut persuasum sibi habere posset Christi vicarius, omnes, quidquid decreverat, fideles fide amplexuros esse. Omnibus ita peractis, instabat tempus, quo patefactione divina illustratus, sanctus pater cum populo communicaret veritatem, quae quidem a multis oppugnata, hisce certe temporibus a plurimis desiderabatur. Quare, quod semel habebatur mendacium, nunc decrevit esse veritatem? Quare cunctatus est in annuntianda veritate, a qua omnium hominum aeterna pendet salus? Responsio in promptu est. Lubenter sequi voluit Jesuitarum voluntatem, quae ejus auctoritati tantopere proderat; sed maxime etiam ejus intererat, certio rem reddi de populi opinione, si forte novam annectere vellet gemmam coronae beatæ virginis Mariae. Mirabili adeo ratione, quae populus in animo habebat, perfecte congruere possent cum iis, quae Christus per vicarium suum patefecerat, nec verendae ei erant contradictiones populique seditiones 1). Quum igitur Papa doctrinam, quae Mariam a peccato originali immunem habet, annuntiare, fideique Catholicae congruam dicere haud neglexerit, revera alii erant, qui eum coegerunt ut publice hanc profiteretur sententiam. Verum ita uterque contentus fieri potuit; bonique fungi papa munere patris, qui liberis suis omnia, quae bona iis sunt faustaque, lubenter praebet, dummodo enixe ab eo petantur 2). Ipse nihil certo antiquius habuisse confitetur,

1) »Nous établirons qua le dogme de l'immaculée conception est né d'opinions particulières dont la date est connue, que ces opinions d'abord entachées d'hérésie ont gagné insensiblement du terrain, tout en excitant l'opposition des docteurs les plus éminents de l'Eglise; que la papauté les a ménagées, mais non sanctionnées, tant qu'elles ont été énergiquement combattues et qu'elle ne leur a donné son sceau de légalisation, que quand elle a pu croire a leur triomphe. La papauté n'a pas précédé, elle a suivi, elle n'a pas guidé, elle s'est laissée conduire. Elle a été à la remorque de ceux, qu'elle prétend diriger.»

E. DE PRESSENSÉ, l. l., p. 3.

2) »Das Papstthum, wenn gleich stark nach aussen, ist doch im

quam pro summa sua vel a teneris annis erga sanctissimam Dei genitricem virginem Mariam veneratione, pietate et affectu ea omnia peragere, quae adhuc in Ecclesiae votis esse poterant, ut beatissimae virginis honor augetur, ejusque prerogativae uberiori luce niterent 1). Attamen non prius ei hunc tribuit honorem quam, quid ipse populus de hac ipsa definitione ferenda sentiret, prope cognovit. Qui ergo ante definitionem e vita discesserunt, magnum detrimentum passi sunt; eorumque damni reus est Papa, qui quod aeternae saluti prodesse, imo necessarium esse scivit, minime cum iis communicavit. Nec tantum eorum reus est miseriae, verum etiam multorum adhuc viventium, qui fidem habere non possunt iis, quae omni fundamento carent. Et plane offendimur iis, quae in postrema litterarum parte legimus: »Audiant haec Nostra verba omnes Nobis carissimi Catholicae Ecclesiae filii, et ardentiori usque pietatis, religionis, et amoris studia pergant colere, invocare, exorare beatissimam Dei genitricem virginem Mariam, sine labe originali conceptam, atque ad hanc dulcissimam misericordiae et gratiae Matrem in omnibus periculis, angustiis, necessitatibus, rebusque dubiis atque trepidis cum omni fiducia confugiant. Nihil enim timendum, nihilque

---

Innern und in seinem Wesen schwach. Bei dem Christenthum ist genau das Gegentheil der Fall. Seine Macht liegt in ihm selbst, sie ist unzertrennlich von seinem Wesen. Es vermag die welche es leitet, Individuen oder Nationem dahin zu bestimmen, dass sie ihre Neigungen und Interessen verleugnen. Es erzeugt und leitet grosse Bewegungen, aber es kann nie von ihnen mit fortgerissen werden. Nicht so das Papstthum. All seine Macht ist ausser ihm selbst. Es leitet die Menschen nur nach Maszgabe ihrer Leidenschaften. Es beobachtet die Entstehung grosser Bewegungen, es accomodirt sich denselben, es scheint sie zu leiten, während es in der That genöthigt ist, ihnen zu folgen. J. A. WYLIE, Gegenwärtiger Zustand und Ausichten des Papstthum, pag. 390.

1) In Constitutione VI Idus Decembris 1854.



desperandum Ipsa duce, Ipsa auspice, Ipsa propitia, Ipsa protegente," etc. Ex quibus facile intelligi potest, quo ruat Romana Ecclesia, ad erroris culmen pervecta. Novum dogma Christum e coelo et a terra ejicit, cujus in coelo locum excipit Maria, cujus in terra solum imperium tenet Papa. De quibus ut certo certius nobis constet, dogmatica instituenda est disquisitio.

## PARS SECUNDA.

### DOGMATIS IMMACULATAE CONCEPTIONIS DISQUISITIO DOGMATICA.

---

Dogmatis historiam ad finem usque perduximus. Vidimus sensim sensimque omnia in Mariam translata fuisse Jesu Christi praedicata. Audivimus sanctitatem ejus et puritatem corporis animique pedetentim majoribus celebratas esse laudibus: legimus imo majorem ei quam ipsi Christo tributum esse honorem. Quid vero significet, Mariam sine peccato originali conceptam esse, clarum nobis et perspicuum esse nequit, nisi nobis constet de notione peccati originis, quae apud Romano-Catholicos viget. Quibus perpensis, nobis patebit, quid sibi velit novum, quod praecedente anno editum est dogma. Haec igitur disquisitio prorsus necessaria est, ut rectum de nostra, quam tractamus, re judicium feramus: nec minus nos juvat ad rite aestimandum, quaenam ex hac doctrina necessario profluere debeat consequentia. Nonne enim ulterius etiam, quam adhuc fecit, procedere debet Romana Ecclesia? Nobis judicibus acquiescere non potest in dono Mariae tribuendo justitiae originalis. Illius enim doni supernaturalis fructus est ac esse debet ut, qui eo praeditus sit, non moriatur 1). Romana

---

1) Catechism. ex decr. Conc. Trid., p. 33: »Sic corpore affectum



vero Ecclesia, quamquam Mariae celebrat adscensionem, docet tamen Mariam mortuam esse. Haec contradictio solvi debet; atque ergo aliud sequatur dogma, necesse est. Si quid video, duae patent viae, ex quibus eligat Papa. Altera, qua negatur Mariam mortuam esse; ubi enim causa non adest, ibi effectus inveniri nequit: altera, qua confirmatur Mariam morti subjectam esse propter hominum peccata, sicut ipse Christus. Posterior sententia magis consequens est Romanae Ecclesiae de Maria doctrinae; quae ut manifesta sint, dilucideque nobis novi dogmatis pateat notio, in ejus anthropologiam, quatenus nostram spectat rem, accuratius inquiremus. Nostra haec disquisitio in quinque dividi potest quaestiones:

Quid novo dogmate Mariae tribuitur?

Quo nomine Mariae natura ab humana natura differt?

Quare verum mediatorem Jesum Christum agnoscere non potest Romana Ecclesia?

Quomodo Christi locum excipit Maria?

Quaenam ex hac doctrina necessario profluit consequentia?

---

et constitutum effinxit, ut non quidem naturae ipsius vi, sed divino beneficio immortalis esset et impassibilis." Disertius dicit J. A. MÖHLER, Symbolik, p. 28: »Die mit der gottergebenen Vernunft einträchtige, allen Widerstreit mit ihr ausschließende Bewegung der leiblichen Triebe und Kräfte war endlich mit der groszen Gabe der Unsterblichkeit auch des irdischen Theiles des Menschen verbunden, so wie mit der Freiheit von allem Uebel und von allen Krankheiten, den nun gewöhnlichen Vorspielen des Todes." Non plane ei consentire videtur H. KLEE, Katholische Dogmatik, T. II, p. 320, de prima illa hominis conditione dicens: »Es war keine Unmöglichkeit des Todes, sondern eine Möglichkeit des Lebens, ein Zustand der Unbestimmtheit, der Unentschiedenheit und Wahlfähigkeit zwischen Tod oder Leben.

---

QUID NOVO DOGMATE MARIAE TRIBUTUR.

Quae de omnibus hominibus, consueto ordine natis, valet propagationis lex, vim suam non exercuit in Mariam. Ita decrevit Papa. Peccatum originale, quo fit, ut omnes in malum propensi sint homines, Mariam Domini matrem numquam poluit 1). Hacce vero sententiâ plane negativi quid de Maria praedicatur. Ut claram igitur de ea habeamus opinionem, quid peccatum originis sit, nobis inquirendum est, quidque, hoc illi denegendo, revera ei tribui debeat. Peccatum originale nihil aliud est, nisi amissio sanctitatis et justitiae, in quibus fuerat primus homo constitutus 2). Cujusnam vero generis sint illa sanctitas et justitia ex concilii Tridentini constitutionibus colligi non potest. Catechismus ex hujus concilii decretis monet: » Quod ad animam pertinet eam ad imaginem et similitudinem suam formavit Deus, liberumque ei tribuit arbitrium: omnes praeterea motus animi atque appetitiones ita in ea temperavit, ut rationis imperio nunquam non parerent. » Quidquid est, ho-

1) Const. Ineffabilis; »Deus longe ante omnes Angelicos Spiritus, cunctosque sanctos coelestium omnium charismatum copia de thesauro divinitus deprompta ita mirifice Mariam cumulavit, ut ipsa ab omni prorsus peccati labe semper libera, ac tota pulchra et perfecta eam innocentiae et sanctitatis plenitudinem prae se ferret, qua major sub Deo nullatenus intelligitur, et quam praeter Deum nemo assequi cogitando potest.»

2) Conc. Trid. monet Sess. V, Can. 1 et 2: »Cum primus homo Adam mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua fuerat constitutus, amisit, ac praeterea per hujusmodi praevaricationis offensam, iram et indignationem Dei atque adeo mortem, quam antea comminatus illi fuerat Deus, incurrit.... Neque vero Adae praevaricatio sibi soli, sed etiam ejus propagini et toti posteritati nocuit, ut qui acceptam a Deo sanctitatem et justitiam sibi nobis perdiderit, et per inobedientiae peccatum inquinatus non mortem et poenas corporis tantum verum etiam peccatum in omne genus humanum transfudit.»



mines ante lapsum felicissima fructos esse conditione ab omni liberos peccato, Deo prorsus deditos, immortalitate gaudentes nos docent Romano Catholicorum scripta maximique patres Ecclesiae 1). Prima illa conditio dicitur status integritatis, qui humanae naturae non inhaerens est, neque in illa fundatus, sed a Deo, tamquam donum supernaturale, ei tribuitur. Justitia illa, quae dicitur originalis, nihil est nisi accidens, quod primus homo a Deo accepit, ut potentiae inferiores subjicerentur rationi, ratio vero subjiceretur Deo 2). Haec originalis justitia erat donum gratiae, toti humanae naturae divinitus in primo parente collatum, quae simul cum natura ipsa in posteros traducta fuisset, si ille in sua innocentia perstitisset. Verum ille peccavit bonumque supernaturale amisit; et sic primum ejusdem primi parentis peccatum, quo tota natura humana infecta est, simul cum natura in posteros per originem transit ac derivatur 3). Quare primo homini tali opus esset dono, perspicue

1) Vid. MÖHLER, l. 1. p. 27: »Demnach wird Adam Seinem höheren Theile nach beschrieben als ein mit Freiheit begabtes Wesen, fähig, Gott zu erkennen und zu lieben und Alles in ihm anzuschauen....., und somit in seliger Harmonie in sich selbst und mit Gott zu leben.»

F. K. DIERINGER, Lehrbuch der Katholischen Dogmatik, p. 273: »Gott hat den Menschen, so lange er ihm die Treu bewahrte, mit der Gabe der Unsterblichkeit des Leibes ausgestattet..... Der Leib war zum Antheil am Leben des Geistes erhoben und gehorchte ihm; die Natur war dem Menschen in gnadenreicher Hörigkeit zugethan: Eintracht des Menschen mit der Natur, mit sich selbst, mit Gott.»

KLEE, l. 1. hanc conditionem magis idealiter accepit.

Augustinus in concione ad catechumenos contra Judaeos, c. 2, hominem dicit ad imaginem Dei factum, pudicitia ornatum, temperantia compositum, caritate circumdatum, immortalitate vestitum.

2) »Etiam Augustinus huic sententiae favit dicens (libr. II de Gen. cap. 31) Mox, ut praeceptum transgressi sunt, intrinsecus gratia deserente, omnino nudati in sua membra oculos iniecerunt. Et alibi (libr. IV in Julian. in fine). Quid est, gustato cibo prohibito nuditas indicata, nisi peccato nudatum, quod gratia contegebat?»

3) Thom. Aquinas Summ., Pars I, sec. q. 81, art. 1.

nos docet Bellarminus 1). Divina providentia, ut remedium adhiberet morbo, seu languori naturae humanae, qui ex conditione materiae oriebatur, initio creationis homini addidit donum quoddam insigne, quo veluti aureo quodam freno pars inferior parti superiori, et pars superior Deo facile subjecta contineretur. Eximium vero hoc donum per Adami peccatum omnes amiserunt homines 2), excepta vero beata virgine Maria, quam donis, quae descripsimus, nunquam caruisse, postremo anno publice proclamavit Papa 3). Si enim constet peccato originali aliquid amitti, exinde sequatur necesse est, ubi peccatum illud non exstat, boni privationem tolli debere. Ex quibus patet, beatam virginem conceptam esse, sicuti primus homo natus est, dono supernaturali justitiae originalis praeditam, rectam, justam, sanctam, sine concupiscentia, immortalem; neque omnia haec amisit privilegia, sed nunquam peccato obnoxia, semper his gavisus est virtutibus. Quid vero? nonne igitur aliud plane est donum, quod Mariae tribuitur, supernaturale? Primis enim datum erat parentibus, ut ratio subjiceretur Deo, ut remedium adhiberetur huic morbo, qui ex conditione materiae oriebatur. Sed nullos hoc remedium tulit fructus: denuo in morbum inciderunt homines. Verumtamen Mariae ratio semper Deo subjecta mansit, semperque immunis a peccato, sanctaque

1) In libro: De Gratia primi hominis cap. V.

2) »Ac poenae quidem, quae proprie primo peccato quasi e regione respondet, jactura fuit originalis justitiae, et supernaturalium donorum, quibus Deus naturam nostram instruxerat; haec enim est poena, quam aequaliter patiuntur quotquot ex Adamo originem ducunt, et in ipso ac per ipsum initio peccaverunt.»

BELLARMINUS, de amiss. gratiae et statu peccati, cap. XI.

3) Ingeniose J. SCHWETZ, Theologia dogmatica Catholica, vol. II, pag. 153: »Quamvis Beata Virgo Maria, quum modo naturali genita sit, et ideo debitum peccati originis contrahendi incurrerit: *pie* tamen ac *merito* creditur, eam singulari Dei beneficio . . . ab illa labe in conceptione, quam appellant, passivam . . . immunem servatam fuisse.»



fuit virgo: justitiam originalem nunquam amisit. Aureum igitur frenum apud Mariam majorem vim in partem inferiorem exercuit quam ceteros apud homines; et quoniam nunquam ne peccati quidem species in ea obtinuit, opusque adeo redemptionis supervacaneum ei factum est, concludere nobis licet, originalem justitiam, qua ornatur Maria, aliud quid esse, quam quae primis data est hominibus, eique non tribui ut donum superadditum, sed tamquam in ejus natura fundatum. Haud sine causa sic statuimus; facile enim quisque animadvertet, magnum Mariam inter et primum hominem discrimen obtinere. Neque etiam primus homo natus est cum peccato originali; accepit a Deo justitiae et sanctitatis donum, quod prohiberet, quominus a Deo descisceret, in peccatum incideret. Verumtamen (quomodo fieri potuit) in peccatum delapsus est, cecidit. Postea Christus venit et baptismi instituit sacramentum. Omnia hoc reddit, quae per Adam sunt perdita <sup>1)</sup>. Quod igitur Adam amiserat justitiae originalis donum, per illud restituitur; et qui sine baptismo decedunt, mortis aeternae poena plectuntur. Nec vero etiam in hominibus baptizatis vim suam exercet illa justitia: remedium a Deo ordinatum, ut languorem vinceret humanae naturae, non juvat, et denuo homines aegrotant. Plane alia est res, si oculos in Mariam vertimus; haec nunquam peccavit, semper dono justitiae ornata manens. Et ipsum illud, quod semper expers fuit peccati, magnopere justitiae originalis pretium auget, vel potius statuere nos cogit, τὴν ἀναμαρτησίαν ad ejus naturam pertinere, cui congruum est semper intima cum Deo frui conjunctione. Beata igitur virgo mirabilis exceptio est, quae sola inter hujus terrae creaturas invenitur.

<sup>1)</sup> Vid. KLEE, T. III, pag. 133: »Die Taufe ist hauptsächlich der Abstammung aus Adam entgegengesetzt, hauptsächlich Befreyung von der in Folge derselben auf uns übergegangenen Ursünde; wie diese Abstammung und Sünde von Adam Eine ist, eben so und darum auch die Taufe.»

Quae antea magno animi ardore de Maria disseruerunt sanctitatis ejus laudatores, in posterum dogmatica ratione probari possunt. Hanc consequentiam, qua Mariae plane alia, quam ceteris creaturis natura tribuitur, haud observasse cultores Mariae et propugnatores dogmatis de immaculata conceptione facile credimus; atque exinde explicare possumus, quod hi nimis sensui suo indulserint, rationisque juribus non satis dicto audientes fuerint. Verum hoc constat, abnegatione peccati originis, atque adeo dono justitiae originalis, nunquam amissae, Mariam singularem in Romano-Catholicorum systemate locum obtinere, omnibusque hominibus superiorem esse non tantum quoad perfectionis gradum, sed potius quoad ipsam naturam.

---

QUO NOMINE MARIAE NATURA AB HUMANA NATURA DIFFERT.

Quae diximus luce clarius patebunt, si ad ipsam hominis naturam, dono supernaturali destitutam attendimus. Vidimus conditionem primi hominis in statu integritatis non fuisse naturalem, sed plane supernaturalem <sup>1)</sup>. Omnes, quae eum or-

---

<sup>1)</sup> Eandem sententiam communem esse doctorum scolasticorum veterum et recentiorum docet BELLARMINUS. Ipse contendit corruptionem naturae non ex alicujus doni naturalis carentia, neque ex alicujus malae qualitatis accessu, sed ex sola doni supernaturalis ob Adami peccatum amissione profluxisse. Duobis modis donum illud supernaturale accipi potest *per se* et *per accidens*. *Per se* dicitur supernaturale, quod ex genere suo non aptum est fluere ex principiis naturae: *per accidens* supernaturale vocatur, quod interdum obtinetur divino miraculo, licet alioquin ex naturae principiis fluere soleat. Cujusnam generis autem dicitur homo accepisse donum supernaturale? Disertis verbis huic quaestioni respondit BELLARMINUS, rectitudinem illam partis inferioris donum fuisse supernaturale *per se*, non *per accidens*, ita ut neque ex naturae principiis fluxerit nec potuerit fluere.

Sic etiam PERRONE, Praelectiones Theol., tom. I, p. 774: »Jam vero doctrinam Catholicam superius vindicatam tum elevatio primi



nabant virtutes, doni illius supernaturalis fructus erant, neque hoc sublato, Dei cognoscendi, bonum faciendi facultas ei esse poterat. Morbo laborabat homo, naturae suae proprio: in statu versabatur indifferentiae, ita ut aequè bonum ac malum posset perficere, verum maxime ad posterius esset propensus. Si moralitatis quid in homine inveniretur, extrinsecus id ei afferretur necesse erat: voluntas Dei, lex moralis eatenus tantum potuit eum obstringere, quatenus supernaturali ratione Dei vocem in animo audiit resonantem. In statu naturali nulla Deum inter eumque communicatio esse potuit; plane enim alius fuit naturae 2). Hanc ob rem dono supernaturali eum ornavit Deus, ut creatura fieret revera moralis, Ipsumque cognosceret, et ad vitam vere spirituali fruendum aptus esset. Sed homo peccavit, omniaque, quae acceperat, amisit. In statu integritatis non amplius versabatur; desiit creatura esse, cujus cordi Deus se patefacit; quae enim extrinsecus allata erant, ei adempta fuerunt; natura ejus proprie non mutata fuit peccando, aliquatenus vero debilitata, et igitur mansit quod sine gratia Dei fuisset, scilicet creatura, cui facultas non fuit naturam Dei cognoscendi nec virtutis colendae, ut uno verbo dicam, creatura prorsus vera natura morali destituta 3). Qui post primum hominem

---

hominis ad statum supernaturalem per gratiam sanctificantem, tum integritas naturae non fuerunt humanae naturae debita, sed dona fuerunt gratuita homini a divina largitate concessa, ita ut Deus potuerit absolute sine illis hominem condere. Igitur homo per peccatum non amisit nisi ea quae superaddita a Dei liberalitate illius naturae fuerunt. Seu, quod idem est, homo per peccatum ad eum se redegit statum, in quo absolute creatus fuisset, si Deus cetera dona minime addidisset, tum pro hac tum pro altera vita."

2) Inter alios vid. MÖHLER, I. I., p. 30: »Dieses Verhältnisz Adams zu Gott, als Erhöhung über die menschliche Natur und als Versetzung in die Theilnahme an der göttlichen, wird darum auch, wie es in dem Begriffe derselben gelegen ist, ein übernatürliches, ein zu den Naturgaben hinzugegebenes Geschenk der göttlichen Gnade genannt."

3) Vid. BAUR, Gegensatz des Katholicismus und Protestantismus,

nati sunt, eadem sorte fruuntur, qua hic postquam peccavit, parvo tantum discrimine. »Status enim hominis post lapsum Adami a statu ejusdem integro non magis differt quam differat spoliatus a nudo, neque deterior est humana natura, si culpam originalem detrahas, neque magis ignorantia et infirmitate laborat, quam esset et laboraret integra condita 1). Quae quum ita sint, concludere licet et hominem integrum et eum, qui nunc nascitur omnesque, qui nati sunt, ex natura sua Dei imagine haud ornatos esse, naturaque morali minime gaudere. Spoliati enim omnibus iis, quae hominem reddunt verum hominem, eadem fere omnes praediti sunt natura, qua bestiae, quibus etiam facultas deest res divinas cognoscendi, diligendi et intelligendi 2). Discrimen non video ho-

pag. 104: »Wird auf diese Weise über die Natur des Menschen hinausgestellt und von ihr getrennt, wovon man doch auch wieder nicht läugnen kann, dasz es eine gewisse Beziehung zum Menschen habe, so folgt hieraus ein um zu niedrigerer Begriff von der Würde der Natur des Menschen selbst. Wie niedrig is die Natur der Menschen gefaszt, zu welcher Armseligkeit des Daseyns ist er herabgedrückt, wenn dem Geist, welcher doch das höhere und regierende Princip seyn soll, vor dem Fall so wenig als nach demselben die Kraft zugeschrieben wird, durch sich selbst das Fleisch zu beherrschen, wenn die Thätigkeit der sich selbst nach ihren Gesetzen bestimmenden Vernunft mit den Aeuszerungen des sinnlichen Triebes völlig gleichgestellt, und die Freiheit des Willens nur in das Vermögen gesetzt wird, bald von der Vernunft bald von der Sinnlichkeit angezogen und bestimmt zu werden.“

1) Ipsissima BELLARMINI verba, de gratia primi hominis, cap. V.

2) »Der Zustand der Ureltern nach vollbrachter Abfallssünde materiell genommen, wie er im Wesentlichen sich auf ihre Nachkommen vererbte und vererbt, war sicher kein anderer, als der, durch den Verlust der Integrität und Elevation des ganzen Wezens, gesetzte Zustand der nackten, gottenfremdeten, gnadenentblöszten, daher nicht nur *aller höhern Lebensgemeinschaft mit Gott unfähigen*, sondern auch in sich durftigen und brechlichen, weil unvollendeten Creatürlichkeit; war materiell genommen, der Status purorum naturalium, ohne we-



mines inter et animal quoad naturam ; fieri potest, ut aequaliter se gerat animal dono supernaturali, si ei contingat, ornatum ac Adam in paradiso, eademque fruatur beatitudine. Nihil ergo impedit quominus statuamus humanam naturam, secundum Romano-Catholicorum opinionem, *essentialiter* non esse moralem, vel saltem ab iis legem moralem arctis limitibus circumscriptam, alio sensu sumi debere.

Quae facile ex catholica de peccato originis opinione profluit consequentia probari et confirmari potest nonnullis placitis sententiisque, quae in ipso occurrunt systemate. Reformationis tempore Ecclesiam Romano-Catholicam magis magisque realismum rejecisse, ac nominalismum amplexam esse, omnibus notum est. Nominalismus ille in placita explicanda magnam exercuit vim; et quoniam nullam admittere voluit cognitionem, nisi ex experientia rerumque, quae videri possunt, observatione petitam, Ecclesia fieret fidei auctoritas omniumque insensibilium explicatrix necesse erat. Ratio humana per se facultate destituta erat Deum omnesque res divinas cognoscendi et intelligendi. Divinum ab humano longo intervallo sejunctum putabatur et supernaturali ratione constitui debebat vinculum, quod Deum inter et hominem intercedit. Ne quis igitur miretur Romano-Catholicos Dei cognitionem neque ex natura neque ex hominis morali conditione petere. Quodnam enim de coloribus ferre poterit coecus iudicium? Quid sibi de sono aliquo, de musica proponet surdus? Sic etiam de Deo quidquam intelligere nequit homo communionem cum Deo carens. Et optime hoc convenit in Romanam Ecclesiam, quae cum hominibus omnia quorum insecii sunt, voluntarie communicat, ut magis magisque eos subjuget.

Huic de morali hominis natura iudicio non obstat Semi-Pe-

---

sentliche Corruption der Natur an sich." H. OSWALD, Dogmatische Mariologie. Paderborn 1850, pag. 8.

lagianismus, quem magis magisque sequitur Romana Ecclesia, favet imo. Secundum enim Augustinum, homini deest in sua conversione cooperandi facultas, quoniam totus corruptus est, nihil quidquam boni ei inest. Natura vero hominis sicuti vidimus secundum Romano-Catholicorum systema minime tota corrupta est, nil fere mutationis subiit; aliquatenus quidem debilitata, eadem mansit quae dono supernaturali destituta. Cum hac de hominis natura opinione difficile conciliari potest Augustinismus, quem relinquere necessaria Romano-Catholicos cogit consequentia.

Quae diximus confirmari etiam possunt doctrina de operibus meritoriis. Communis enim est Catholicorum sententia, opera bona justorum vere ac proprie esse merita, et quidem non merita cujuscumque praemii, sed ipsius vitae aeternae 1). Meritis operum ex justitia datur praemium vitae aeternae, non vero ex mera liberalitate: non tamen datur priusquam ea digni inveniantur, qui illam habituri sunt. Injustissimum enim esset petere a Deo justissimo iudice vitam aeternam, antequam eam merearis accipere 2). In bonis ergo meritis, quae vere talia esse compertum sit, fiducia reponi potest. Verumtamen humanam sic denuo negari naturam moralem quis est qui non videat? Quis enim meritum alicui tribuendum esse censebit quando ut famem depellat, utitur cibo: quodnam praemium meretur infelix, qui omnes suas intendit vires, ut fiat beatus? Quonam praemio munereris apem, qui sibi ipsi mel

1) Conc. Trid. Sess. 6, can. 22. »Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut ipsum justificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam, et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae vitam aeternam, et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia discesserit, consecutionem, atque etiam gloriae augmentum: anathema sit.»

2) BELLARMINUS, de Justificatione, libr. V.



facit. Omnia, quae ex natura personae reive profluunt, merita dici non possunt: ut postremo exemplo utar, sibi ipsi mel facere, congruum est apis naturae. Si vero cura hominum impulsam, sibi consciam, eorum etiam in commodum conficeret mel, magno certe praemio esset digna. Hoc etiam quadrat in homines. Tum demum meritum iis esse potest legis moralis observatio, quando iis ex natura non indita est. Si ergo Romano-Catholicus bona opera salute aeterna digna esse contendit, hoc dicto naturam reveram moralem hominis subvertit.

Arctissime cum hisce conjuncta est doctrina de operibus supererogatoriis, quae eodem nititur fundamento. Sunt enim multi, qui plura bona opera fecisse statuuntur, quam quibus ipsis ad salutem opus fuerit. Quorum sanctorum magnus operum condebatur thesaurus, quo alii etiam uti possunt, qui nunquam sancti quid perfecerunt. Ex iis profluit doctrina de indulgentiis, quae valent ad remissionem poenae residuae post contritionem et absolutionem et confessionem, sive sit injuncta sive non <sup>1)</sup>. Luculentur igitur cuique patet et eos, qui mensuram debitorum suorum supererogaverunt, et eos, qui iis utuntur, probare hominem natura morali, quae vere talis dici potest, non praeditum esse. Si enim sua natura homo revera moralis est, non terminus poni potest, ultra quem procedere non opus est; in infinitum progredi debet, nunquam perfectionis cernitur finis. Si homo natura morali gaudet nullius utilitatis ei esse possunt alterius opera bona, omnium sanctorum omnia opera malum hominem bonum reddere nequeunt.

---

<sup>1)</sup> Vid. TH. AQUINAS, Pars III, Suppl. Qu. 25, art. 1: Ratio autem quare valere possint est unitas corporis mystici, in qua multi in operibus poenitentiae supererogaverunt ad mensuram debitorum suorum; et multas etiam tribulationes injustas sustinuerunt patienter, per quas multitudo poenarum poterat expiari, si iis deberetur: quorum meritorum tanta est copia, quod omnem poenam debitam nunc viventibus excedunt.

Sed haec sufficient ad comprobendam nostram, quam ex Romano-Catholicorum doctrina de peccato originali deduximus sententiam, quaeque docet humanam naturam revera moralem non esse, neque ei, dono supernaturali destitutae, rebus divinis quidquam esse commune 1).

QUARE VERUM MEDIATOREM JESUM CHRISTUM AGNOSCERE  
NON POTEST ROMANA ECCLESIA.

Varii, quibus laborat Catholicum systema, errores intimo nexu cum doctrina de hominis conditione in statu integritatis cohaerent. Nonnullos jam significavimus, quibus hic etiam adjiciatur, quod vera mediatoris Deum inter hominemque notio plane repugnat eorum anthropologiae. Quid enim nobis volumus mediatorem dicentes? Nonne tasis est, qui gratia Dei est constitutus, ut hominem Deo conciliaret suaque vita divini humanique ostenderet unitatem, summamque Dei in homine revelationem? Verum haec omnia in Romano-Catholicum systema cadere nequeunt. Nullus enim secundum eorum opinionem divinum inter et humanum nexus, nisi supernaturali ratione constitutus. Genere plane diversa sunt; homo secundum suam naturam nunquam filius Dei dici potest 2), nec sensum alere divinum, quem non possidet, nec legem assequi moralem, quam in pectore audire nequit. Virtus igitur eximia,

1) Papae Pius V et Gregorius XIII hasce theses *condemnaverunt*:  
»Humanæ naturae sublimatio et exaltatio in consortium divinae naturae debita fuit integritati primæ conditionis, ac proinde naturalis dicenda est, non supernaturalis.»

»Integritas conditionis non fuit indebita naturae humanae exaltatio, sed naturalis ejus conditio.»

2) Vid. BAUR, l. l. pag. 107. »Hat das Göttliche, das der Mensch in sich aufnehmen soll, nicht einen durch seine Natur bedingten



qua excelluit Christus, perfectio, qua major nunquam hac in terra apparuit, in humana ejus natura minime fundatae esse poterant, sed tantum in divina, quae nullo vinculo, si excipis donum supernaturale, inter se erant conjunctae. Quid igitur fecit Christus? Materia nostra indutus, imaginem nobis ostendit sancti, cui nihil commune habemus. Ad moralem enim nostram perfectionem augendam ejus adventus non potuit inservire: ipse legi morali dicto audiens erat, quoad divinam naturam. Quomodo Deus conjungi possit cum mundo physico in lucem quidem protulit, verum singularem illum nexum Deum Patrem inter hominemque infantem non potuit indicare. Sicuti lapsus hominis non mutavit naturam, sic etiam Christus nullam ei afferre potuit mutationem <sup>1)</sup>. Neque etiam opus est nobis tali viro, si omnia, quae perfecit, supernaturali dono justitiae originalis possunt reddi. Plane alienus a nobis manet Christus, qui corpus quidem induit nostrum, verum naturam nostram non potuit sibi assumere; verus *θεάνθρωπος* esse nequit, qui divini humanique unitatem ostenderet omnibusque videndum praerberet. Quamquam agnoscere nolunt Romano-Catholici se vel Docetismum, sicuti Paschasius Radbertus alique, vel incarnationis dogma Ethnicorum more profiteri, unum alterumve eorum systemate jure effici, quisque nobis consentiet. Hinc

---

Anknüpfungspunkt in ihm selbst, ist die Empfänglichkeit für dasselbe nicht in seinem innersten Wesen so tief begründet, dass die Idee seiner Natur dadurch erst zur Realität und Vollendung kommt, so kann der Mensch nicht als das freie selbstthätige wahrhaft persönliche Subject für dasselbe gedacht werden: es steht als eine rein übernatürliche seinem Bewusstseyn unerreichbare Ordnung über ihm, zwischen welcher und ihm selbst eben deszwegen ein unlebendiges, äusserliches, mechanisches Verhältnisz stattfinden kann."

1) BAUR, I. I. pag. 109; »Auch das Christenthum ist demnach nur ein Accidens, nur etwas Auszerwezentliches und Unwezentliches, das den Menschen, er mag es haben oder nicht haben, seinem wahren Wesen nach lässt, wie er ist."

factum ut Christum verum mediatorem habere non possint, et quum ejus naturam a ceterorum hominum natura plane alienam putarent, aliis opus iis erat mediatoribus, quibuscum magis conjunctos se sentire poterant, quippe qui pro iis intercederent, eorumque apud Deum agerent causam. Deum enim sibi proponunt Romano-Catholici tamquam judicem supremum, qui gravissimas ab homine exigit poenas, nec contentus esse potest, nisi operibus meritoriis, sacrificiis, poenitentiis placatus sit. Hanc ob rem vix aut ne vix quidem ad Ejus thronum accedere audent, qui altis in coelis collocatus est. Magnus ei adstare solet sanctorum numerus, qui preces nostras gemitusque audiunt, ad Deum referunt, et ab Eo impetrant, ut peccata nobis condonet. Quae maxime auctoritate sua valet, beata Virgo Maria dicitur, cui Deus nunquam quidquam abnuvit. Ad eam preces fundere debet quisque Romano-Catholicus, ejus causa bona facere opera: salvus semper fit, qui Mariam maxima dignam censet laude, eamque quotidie adorat 1). Revera Romano-Catholicorum religio magis cultus Mariae quam cultus Dei esse videtur. Homines igitur intima illa cum Deo conjunctione frui non possunt, quae omnes, quibus ea gaudere contigit, vere beatos reddit. Christum fratrem suum agnoscere non possunt, quoniam plane alius depingitur naturae, quae tantum ab eorum discernitur natura, quantum lux a tenebris 2).

Quoniam igitur Christum non verum mediatorem habent, reconciliatio cum Deo locum obtinere non potuit sufficiens. Et haec significatio adscribi debet sacramento eucharistiae, quod quo-

---

1) Litanias (in honorem immaculatae conceptionis B. V. Mariae) recitantibus concedit FRANCISCUS I. Episcopus Harlemensis quadraginta dies indulgentiarum in forma ecclesiae consueta.

2) Quae memoravimus non refutantur verbis viri ven. A. FRENTROP in oratione sacra, *Christus Jezus, de eenige middelaar Gods en der menschen*, quoniam vario hic et illic sensu accepit muneris mediatorii notionem, nec satis in hujus rei gravitatem penetravit.



tidie iteratur. Sacerdos enim vice Christi vere fungitur, qui id quod Christus fecit, imitatur, et sacrificium verum et plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre secundum quod ipsum Christum videat obtulisse 1). Et quia passionis ejus mentionem in sacrificiis omnibus facit, nihil aliud, quam quod ille fecit, facit sacerdos 2). Missa, quae dicitur, non symbolum est hominis cum Deo reconciliationis, verum ipsam eandem efficit 3). Quae item diximus de Dei communione cum mundo physico, ipso comprobantur sacramento. Sacerdos enim panem et vinum in altari consecrat, ut panis quidem in corpus, vinum autem in sanguinem Domini subito transmutetur 4). Mirabili ergo illa

1) OSWALD multis verbis probat in Eucharistia Mariam aequae ac Christum revera adesse, quoniam a Christo Maria sejungi nequit. »Und da,“ inquit, »die Mutterwürde körperlich ihren geeignetsten Ausdruck in der Milch, die ja aus dem Blute her stammt, findet, so muß, natürlich unter Voraussetzung der Richtigkeit dieser ganzen Darstellung, das *lac virginale* als das angesehen werden, was von Maria in der Eucharistie primo loco vorhanden ist, an das sich dann erst in weiterer Abfolge die ganze Leiblichkeit der h. Jungfrau, so wie ihre Seele, als unzertrennlich mit ihm verbunden, anschließen würde. Also mit dem Fleisch und Blut unseres Herrn, und mittels desselben, zugleich die Muttermilch U. L. F. in der h. Eucharistie.“ OSWALD, l. I. pag. 176.

2) CYPRIANUS, Epist. 3 ad Caecil. Canisii summ. doctr. P. II, pag. 170.

3) Conc. Trid. sess. XXII, can. 1, de sacrificio missae monet: »si quis dixerit in missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium: aut quod offerri non sit aliud quam nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit.“

4) Conc. Trid. sess. XIII, can. 4, de transsubstantiatione confitetur: »Quoniam autem Christus redemptor noster corpus suum, id quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit, ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo sancta haec Synodus declarat, per consecrationem panis et vini, conversionem fieri totius substantiae panis, in substantiam corporis Christi Domini nostri, et totius substantiae vini in substantiam sanguinis ejus, quae conversio convenienter et proprie a Sancta Catholica Ecclesia *transsubstantiatio* est appellata.“



conversione, reservatis tamen panis et vini speciebus, ne percipientes cruenta horrerent, humana benedictione Christus se conjungit cum pane eadem ratione, qua antea cum corpore humano.

Quodsi verus mediator esse non potuit Christus, naturaque humana nullam subiit mutationem, vera Spiritus Sancti notio in Catholico systemate inveniri nequit, illam puto, qua statuimus, Christum suo hanc in terram adventu hominum animos illustrasse, divina sua veritate imbuisse, adeoque vinculum constituisse, quo continua nobis cum Deo communio esse possit. Post Christi demum vitam terrestrem omnem suam ostendere potuit efficacitatem, secundum illud dictum: *ἐὰν γὰρ μὴ ἀπέλθω, ὁ παράκλητος οὐκ ἐλεύσεται πρὸς ὑμᾶς* 1). Christi enim mors omnes nebulas dissipavit, quae discipulos prohibuerant, quominus in eo cernerent Christi adventus scopum, ut regnum conderet minime hujus mundi, terrestrique gloria ornatum, sed spirituale aeternumque in coelis. Spiritus hujus operatio a Christi operatione sejungi nequit: ubi haec non agnoscitur, illa locum obtinere non potest. Quodsi Christus mediator non habetur, nec communionem effecit hominis cum Deo, sermo esse non potest de Spiritu Sancto, quippe qui Christi opus perficeret. Et revera Spiritus illa notione plane carent Romano-Catholici, quod etiam consequens est eorum anthropologiae, quoniam humana natura non accommodata est ad Deum cognoscendum et diligendum adeoque Spiritum Sanctum excitandum, nisi dono adjuncta supernaturali. Ne objicias eos tamen ubique in dogmaticis de Spiritu Sancto loqui; nil enim videtur nisi flatus vocis; quid operetur quidque homini possit praestare ibi non patet. Contra ex multis placitis dilucide apparet Spiritus Sancti notionem plane abesse. Luce clarius hoc cernimus in sacramentorum doctrina 2), quae certa efficaciaque signa ha-

1) Joh. XVI: 7.

2) In omnibus omnino sacramentis Mariae etiam operationem vin-



bentur divinae erga homines gratiae et voluntatis, quae dum in sensus externos incurrunt, non solum excitant fidem in Christum, Deique misericordiam et bonitatem, verum etiam vivifica sunt instrumenta, per quae placuit Deo salutem hominum efficaciter operari 1). Absque fide igitur sacramenta gratiam continent et conferunt ex opere operato 2): materiale vinculum locum excipere debet Spiritus Sancti, qui agnosci non potest. Quodsi igitur aliquid sacramentis adscribere volunt utilitatis, eorum operatio *per se* doceatur necesse est. Nec minus specialim hoc patet ex sacramento poenitentiae, per quod sacerdotes etiam ii qui peccato mortali tenentur peccata condonant 3). Suam sacramento vim addunt verba sacerdotis, qui sibi facere videtur, quod Deo soli competit, qua de condonatione Spiri-

---

dicat H. OSWALD, de consecratione sacerdotali agens, dicit pag. 200: »Indem der Priester *minister Christi*, zugleich aber für das andere Geschlecht auch *minister Mariae* ist, indem neben der Gnade Christi auch die eigenthümlich marianische ministeriell in seine Hände gelegt, und er beide in Spendung der Sacramenten dem Weibe vermitteln soll: so ist hiermit der Unterschied der Geschlechter gleichsam in ihm aufgehoben, er ist in Kraft seines Amtes sacramentaliter *übergeschlechtlich*, er ist, man erlaube den Ausdruck, als Priester, als Stellvertreter Christi und Mariens zumal, *androgyn*.

1) CANISII summ. doctr. P. II, pag. 15.

2) Sic etiam AUGUSTINUS libr. IV contra Don. cap. 24, volens ex circumcisione ostendere, quid valeat baptismus in parvulis: »cur praecipuum est Abraham ut omnem deinde infantem masculinum octavo die circumcideret, qui nondum poterat corde credere, ut ei deputaretur ad justitiam, nisi quia et ipsum per se ipsum Sacramentum multum valebat?»

3) Conc. Trid. sess. XIV, can. 3, docet sacramenti poenitentiae formam, in qua praecipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: Ego te absolvo, etc. Quibus quidem de Ecclesiae Sanctae more preces quaedam laudabiliter adjunguntur, ad ipsius tamen formae essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius sacramenti administrationem sunt necessariae.

tus Sanctus tantummodo in corde nostro testari potest. Hic aperte enuntiatum est et homini, qui sanctissimo Dei fungitur ministerio, non opus esse Spiritu Sancto, et homini, qui absolvitur, operatione Spiritus Sancti in animo suo haud persuasum esse de condonatione peccatorum. Quis maxima indignatione non impletur, quando impiissimi etiam sacerdotis verbis praecipua vis tribuitur, operationi vero Spiritus Sancti fere nulla? In aliis etiam placitis eadem valet animadversio, quae, ne justo diutius nos detineamus, verbulo tantum attingam. Sanctae Matris Ecclesiae est judicare de vero sensu et interpretatione scripturarum sacrarum: Spiritus Sanctus igitur non docet, neque de veritate sensuque verbi divini animos certiores reddit. Extra Ecclesiam nulla salus: nullus ergo Spiritus Sanctus, qui una cum spiritu nostro testatur, nos esse Dei filios, quique externis ab institutionibus non pendens, cum iis communicatur, qui Christo animo suo addicti sunt.

Sed haec sufficiant ad confirmandam sententiam, Romano-Catholicos Jesum Christum tanquam mediatorem unicum nequaquam agnoscere. Quidquid hisce objicere conantur, satis constat, si quid video, omnes eorum errores cum male intellecta anthropologia arctissimo vinculo cohaerere. Dogma immaculae conceptionis ansam nobis dedit, ut accuratius in hanc rem inquireremus, quoniam quaestionem referebat de primi hominis conditione in statu integritatis versantis. Christi igitur mediatorio obumbrato opere pedetentim ad hoc munus evecta est ejus mater. Ulterius processerunt omnem ei a peccato immunitatem tribuentes, quoniam causa cur Christum reliquissent nunc etiam in Mariam cadere debuit. Christo enim sublimior erat natura, quam quod ipsi cum hominibus communio esse posset: Maria, ejus mater, eadem qua ceteri homines natura praedita, ejus excipere debuit locum. Quum vero ita ad culmen perductus sit cultus Mariae, ut alia ei, quam ceteris hominibus natura adscriberetur, etiam Mariam amiserunt mediatri-



cem, tempusque instat, ut apud ejus matrem refugium quaerant, de qua postea plura dicemus.

---

QUOMODO CHRISTI LOCUM EXCIPIIT MARIA.

Postquam a primis inde temporibus praesertim in Ecclesia Occidentali Mariae immunitatem a peccato actuali permulti defenderunt, alii fuerunt qui hac in re minime subsistere poterant. Rationibus plerumque *probabilitatis* <sup>1)</sup> inducti, quidquid volebant, de Maria statuere poterant. Peccatum, quod aliis ex natura inerat hominibus, beatam Virginem inquinare non debuit: adeoque non inquinavit. Concupiscentiam, quae oritur ex peccato originali, ei simul cum illo ante nativitatem ademtam esse oportuit; adeoque adempta fuit. Ne punctulo quidem temporis peccato originali infecta esse debuit: adeoque non fuit. Ubi primum tali ratiocinatione ex vulgari hominum Mariam excluderant ordine, ulterius procedere debuerunt, ultimasque prosequi consequentias. Quod tamen non satis animadverterunt: sensus nimis praevalebat, quam ut ratio ostendere posset, Mariam tamquam mediatricem evanescere, ubi humana natura perfectiorem eam habebant cultores. Dogmatis nostri auctor Duns Scotus sensui suo, quo magnopere gaudebat, indulisit, quum immaculatam conceptionem urgeret, nec tamen animadvertit supra omnes creaturas quoad naturam dogmatice sic

---

1) Conf. G. POINSOT, réfutation du dogme de l'immaculée conception, pag. 92. »La raison de convenance peut être invoquée dans le cercle des choses humaines sans doute. Mais, en matière de théologie chrétienne, elle n'a aucune valeur. Il y a plus, si l'on suit la règle qui nous est donnée de Dieu lui-même, dans le prophète Esaïe (LV, 8 et 9) et ailleurs: on peut dire qu'il suffit qu'une doctrine soit le résultat unique des pensées de l'homme pour qu'elle soit, par cela même jugée.»

beatam virginem evehit. Quam leves sunt illius argumentationes: existimavit majorem ex hac re consecuturam Mariam honorem; intimo erga eam flagravit amore, speravit fore ut immunis fuerit a peccato originali, quod omnibus majus est peccatis: hanc ob rem oportuit eam sine peccato originali esse conceptam, adeoque ita fuit. Quae igitur in Christo frustra quaesivit, quoniam revera humanam assumere non potuit naturam, in Maria se invenisse putavit, atque eam cum praecipuis Mariae cultoribus amplexus est mediatricem, quae causam agit nostram apud magnum illum Deum, quocum veram habere consuetudinem non possumus.

Accedit alia causa, cur Maria indiguerint mediatrice, quaeque maxime valuit eo tempore, quo verus Christianus ardor extinctus erat, pluraque membra Catholicae Ecclesiae in vehementem inciderant morbum. Ex eodem, quem significavimus fonte haec etiam causa profluxisse videtur. Quoniam enim Romano-Catholici divinum ab humano plane sejungebant, hominique naturam revera moralem denegabant, cui nisi dono supernaturali praeditae facultas erat res divinas cognoscendi, divinum ab iis nulla fere alia ratione cogitari neque intelligi poterat, quam deprimendo et conformando secundum quas capere poterant notiones. Ipsos enim se extollere nequeunt, obstat eorum natura: divinum ergo humanum fiat necesse est. In multis eorum placitis luce clarius hoc patet, etiam in nostro. Christianam sublimem illam caritatem, quam ipse Christus exercuit, maximeque exercere mandavit, percipere non possunt homines *ψυχικοί*; eorum superat intellectum, mentisque facultates. Alia ergo huic caritati tribuenda erat notio, quam melius intelligere poterant; et quo magis gravissimum amorem indicarent, sumebatur ab eo, qui alius sexus aliquam amore prosequitur. Tali vero amore amplecti non poterant Christum: ejus igitur substitui debuit loco beata Virgo, in qua etiam perfectissima maternae caritatis imago conspicua



erat 1). Quum vero amorem suum sic in Mariam transferrent, magis magisque tenebris circumdabatur Christus, matricque cessit, cui omnes sensim sensimque tribuebantur ipsius proprietates 2). Mediatoris munere diutius fungi non potuit Christus; et Maria hoc afficiebatur honore, ut apud filium suum et ipsum Deum pro hominibus intercederet. Quo factum est ut plures plerumque preces ad Mariam quam ad ipsum Deum mitterentur, neque ullum discrimen animadverti posset *ὑπερδουλείαν* inter et *λατρείαν*, quae omnia jam in Patrum scriptis satis super-

1) »Man kann nicht leugnen, dasz es für den ästhetisch religiösen standpunkt, mit welchem sich der Katholicismus begnügt, etwas sehr Anziehendes haben muszte, das Ideal der Frömmigkeit und weiblicher Schönheit zu vereinigen, die harmonische Vollendung menschlichen Wesens in einer Gestalt an zu schauen, in welcher ewige Jugend, Jungfräulichkeit und Mutterliebe verbunden war. Diese sinnliche Religiosität hat ein solches Ideal äusserer Schönheit in Christo nicht gefunden, und daher die Erlösung nach ihrem Bedürfnisz durch die Jungfrau ergänzl.“ J. L. JACOBI, Deutsche Zeitschrift 1855, No. 7.

»Der Mensch ist so geartet, dasz er auch die Gottheit menschlich zu lieben das unabweisbare Bedürfnisz hat.... Den noch besteht daneben für den Mann, wenn nicht das absolute, so doch das relative Bedürfnisz, d. h. der Wunsch und die Sehnsucht, dasz die heilige höhere religiöse Liebe gegenständlich sich ihm darstelle in fränlichem Bilde. Und nun, die h. Liebe in fränlichem Bilde das ist Maria, das religiöse Ideal christlicher Weiblichkeit.“ — OSWALD, l. l. pag. 221.

1) Vid. JUL. MÜLLER, Deutsche Zeitschrift, No. 2: Wir freuen uns, wenn die Katholische Kirche auf ihren eignen Boden wächst in christlicher Erkenntnis und Lebensordnung, und können darum nur trauern, wenn sie statt ihres bessern Wesens grade ihre schweren Gebrechen und Verderbnisse mit Vorliebe weiter ausbildet — diesen Dienst der Maria, der sie schon bisher näher als irgend etwas Andres an den Rand der Abgötterei gebracht hat, der selbst in seinen gemäßigtern Vertretern, wie sehr sie sich berühmen, die Anrufung der Maria um ihr Fürbitte von der eigentlichen Anbetung zu unterscheiden, sich nicht scheut die eigenthümlichsten Prädikate Christi, dasz er unseres Leben, unser Seligmacher unsre Hoffnung ist, auf sie zu übertragen.

que conspicua sunt. 1). Nec tamen hae in re substiterunt Patres et cultores: peccatorum condonatio 2) ei adscribebatur; in tentatione

1) AUGUSTINUS, Serm 2 de Annunt. Dom.: »O beata Maria, quis tibi digne valeat jura gratiarum ac laudum praeconia rependere, quae singulari tuo assensu mundo succurristi perduto? Quas tibi laudes fragilitas humani generis persolvat, quae solo tuo commercio recuperandi aditum invenit? Accipe itaque quascunque exiles, quascunque meritis tuis impares gratiarum actiones: et cum susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, et reporta nobis antidotum reconciliationis.»

EPHRAEM SYRUS, Orat. de laude sanctiss. Dei matris: »Dignare virgote tuum servum laudare et dicere: Ave Dei splendidissimum et luculentissimum vas: ave Domina Maria, gratia plena: ave in mulieribus virgo beatissima, ave praestantissimum orbis terrae miraculum: ave mundi mediatrix gloriosissima,» etc.

BERNARDUS, Serm 2 in adv. Dom.: »Domina nostra, mediatrix nostra advocata nostra, tuo filio nos reconcilia, tuo filio nos commenda, tuo nos filio repraesenta.»

2) ANSELMUS, de excellent. glorios. V. M. c. 12.: »Si tu ergo, quae Dei mater es, et eo revera misericordiae mater et gratiae, deneges nobis effectum misericordiae, cujus tam mirabiliter facta es mater, quid faciemus, cum idem filius tuus advenerit cunctos aequo judicaturus judicio? Subveni ergo nobis domina piissima, et non considerata peccatorum nostrorum multitudine, velle tuum ad miserandum nobis inflecte. Cogita quaeso et recogita apud te, quia non ad damnandum, sed ad salvandum peccatores conditor noster ex te factus est homo.»

BERNARDUS, Serm. de verb. Apoc.: »Denique omnibus omnia facta est, sapientibus et insipientibus copiosissima caritate debitoricem se fecit, omnibus misericordiae sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi: captivus redemptionem, aeger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, angelus laetitiam, denique tota trinitas gloriam.»

INNOCENTIUS III, Serm 2 de assumpt. M. V.: »Qui ergo jacet in nocte culpa, respiciat lunam, deprecetur Mariam, ut ipsa per filium cor ejus ad compunctionem illustret. Quis enim de nocte invocavit eam, et non est exauditus ab ea? Ipsa est mater pulchrae dilectionis et sanctae spei. Qui vero ad diluculum poenitentiae surgit, respiciat auroram, deprecetur Mariam, ut ipsa per filium cor ejus ad satisfactionem illuminet.»



Maria auxilium praestabat 1), hora mortis et iudicii invocabatur 2), aeternam omnino praebat beatitudinem 3). Paeterea

1) ANSELMUS de excellent. glorios. V. M. c. 12.: »Ab initio renovationis humanae omnibus sub tuum praesidium confugientibus hucusque succurristi. et idcirco prae omni creatura, omni laude dignissima dici et esse meruisti. Eia succurre, oramus, ut laus quam per tot secula digne possedisti, continua tibi duret in gratia ipsa, qua mundo perduto subvenisti. Tibi ergo nos commendamus, tu procura ne pereamus.»

BERNARDUS hom. 2. de laude Virg.: »Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum: respice stellam, voca Mariam. Si jactaris superbiae undis, si ambitionis, si detractionis, si aemulationis: respice stellam, voca Mariam. Si iracundia aut avaritia aut carnis illecebra naviculam concusserit mentis, respice ad Mariam. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat a corde, et ut impetres ejus orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum.»

2) EPHRAEM SYRUS orat. de sanctiss. Dei genitr.: »Adsis mihi semper virgo misericors clemens et benigna, in praesenti quidem vita fervens protectrix et auxiliatrix, hostiles impetus repellens, et me deducens ad salutem, ac in supremo vitae momento miseram meam animam conservans, et tenebrosos malorum daemonum aspectus ab ea procul abigens: in terribili autem die iudicii ab aeterna damnatione me liberans, postremo inaccessae tui filii et Dei gloriae me haeredem efficiens.»

BERNARDUS Serm. 4 in assumpt.: »Nam longitudo ejus usque in diem novissimum invocantibus eam subvenit universis. Latitudo ejus replet orbem terrarum, ut tua quoque misericordia plena sit omnis terra. Sic et sublimitas ejus civitatis supernae invenit restaurationem, et profundum ejus sedentibus in tenebris et in umbra mortis obtinuit redemptionem. Per te enim coelum repletum, infernus evacuatus est, instauratae ruinae coelestis Jerusalem, exspectantibus miseris vita perdita data.»

3) EPHRAEM SYRUS orat. ad sanctiss. Dei genitr.: »Quam per intercessionem favoremque tuum Domina mea sanctissima, Dei mater, te etiam atque etiam rogo, assequi valeam gratia, miseratione et humanitate unigeniti tui filii Domini et Dei ac Salvatoris nostri Jesu Christi, cui convenit omnis gloria, honor et veneratio.»

BERNARDUS Serm. 2 in advent. Dom. »Fac o benedicta per gratiam quam invenisti, per praerogativam, quam meruisti, per misericordiam



innumerabiles sunt loci, ubi Maria mediatrix <sup>1)</sup> reginaque coelorum <sup>2)</sup> et mundi <sup>3)</sup> vocatur, qualis jam a seculo inde decimo colebatur <sup>4)</sup>; nullumque igitur dubium manet, quin verum sit, quod diximus, Mariam in Catholico systemate Christi mediatoris loco substitui. Sed ne nobis ipsi contradicere videamur, juvat hic objectionem refellere, quae contra nostram argumentationem facile posset moveri. Diximus enim Catholicam Ecclesiam vera mediatoris notione Christoque mediatore plane carere, et quidem hanc potissimum ob causam, quoniam divinum ab humano longo sejungit intervallo. Attamen postremis probavimus verbis Catholicam Ecclesiam revera non tantum notione verum etiam mediatrice gaudere. Sed tenendum est homines nonnunquam agendo

quam peperisti, ut qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis et miseriae nostrae, te quoque intercedente, participes faciat nos gloriae et beatitudinis suae Jesus Christus filius tuus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in saecula."

1) BERNARDUS, Serm. de Verb. Apoc.: »Fidelis plane et potens mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, sed divinam in eo reverentur homines majestatem. Non sola illi cantatur misericordia, cantatur pariter et judicium, quia etsi didicit ex his, quae passus est, compassionem, ut misericors fieret, habet tamen et judicariam potestatem. Opus est mediatore ad mediatorem istum, nec alter nobis utilior, quam Maria. Quodsi plena magis omnia pietatis et gratiae, plena mansuetudinis et misericordiae, quae ad eam pertinent, inveneris: age gratias ei, qui talem tibi mediatricem benignissima miseratione providit, in qua nihil posset esse suspectum."

2) BERNARDUS, Serm. 1 in assum. B. M.: »Ascendens ergo in altum virgo beata, dabit ipsa quoque dona hominibus. Quidni daret? Siquidem nec facultas ei deesse poterit, nec voluntas. Regina coelorum est, misericors est."

3) GREGORIUS NAZIANZENSIS, in fine Trag. Chr. pat: »Salve puella gratiosa, mater et virgo omnium castissima ac pulcherrima, exercitiis praestantior coelestibus, regina mundi, gaudium mortalium, semper benignam te exhibe mortalibus, mihi que sis salus ubique maxima."

4) Vid. MENSINGA l. I. T. II. pag. 5. seqq.



discedere ab iis, quae ipsi credere fatentur <sup>1)</sup>. Revera Catholicum systema mediatoris veri nominis notione carere debet, quia inter duas res, quae sibi invicem plane contrariae sunt, quarumque vinculum supernaturali tantum ratione effici potest, ulla unio fieri nequit, nisi una alterave mutationis aliquid subeat. Interea idem ille sensus qui a primis inde temporibus hominum animis infuit, sibi quam maxime opus esse communionis vinculo cum Deo, etiam apud Romano-Catholicos haud defuit. Secundum eorum systema Christus mediator esse non potuit: erat enim Deus, non verus homo. Invocabatur igitur Maria, cui secundum Orientalium mores tanquam regis sanctissimi matri debitum honorem abnegare non audebant. Ejusdem certe naturae ac ceteri homines quum haberetur, mediatrix evasit homines inter et ipsum Christum. Pedetentim majoribus laudibus celebrata, plura accepit praedicata, quae in Christum solum quadrant. Sed, ut jam dixi, sensus nimis praevaluit, siluit ratio. Priori indulgentes, haud observarunt Romano-Catholici se supra vulgarem hominum classem Mariam extulisse, et inprimis ultimo, quod editum est, dogmate ei aliam quam ceteris hominibus tribuisse naturam. Aliquando forte e somno expergiscentur, et videntes quid fecerint, aliam invocabunt mediatricem Annam exempli caussa, donec etiam haec ad altum illud fastigium pervenerit, aliaque denuo iis opus sit <sup>2)</sup>. Sic

1) CALVINUS, ad Hebr. IV: 16: «Colligere promptum est, in Papatu extinctam fuisse Evangelii lucem, ubi jubentur miseri homines dubitare sintne propitium Deum an infensum habituri. Praecipiant quidem ut Deus quaeratur: sed neque via ostenditur qua perveniri ad eum possit, et obseratur janna qua sola ingredi licebat. Verbo fatentur Christum mediatorem, sed re ipsa sacerdotii ejus virtutem abolent, ipsumque honore spoliant.»

2) Revera jam hic illic in patrum scriptis mater Mariae, Anna, invocatur, magnoque afficitur honore. Seculo XVIII eadem in regione, ubi Ildefonsus multa ante secula Mariae sanctitatem tanto ardore propugnauerat, regesque postea omnem opem impendere haud desierant

pergentes in graviores etiam prolabantur errores, a quibus ipsi nunc abhorrent.

QUAENAM EX HAC DOCTRINA NECESSARIO PROFLUIT  
CONSEQUENTIA.

Accedimus ad quaestionem, quam in hujus partis initio solvendam nobis proposuimus. Quo ea quae hucusque disputavimus redeant breviter referamus. Maria plane singularem in Catholico systemate occupat locum; natura morali praedita est, et tali quidem natura, quae in malum ruere nequit: sanctitas igitur jure ei tribuitur, nec corpus neque animus infecta esse possunt. Haec sanctitas initium cepit a creatione, vel potius jam in utero, quid dico? in conceptione. Hominum contra natura revera moralis non est; nati enim sunt aegri morbo, cui supernaturali ratione remedium adhiberi debuit. Sensualitatis, quae dicitur, dominio obnoxiiis, deest iis facultas Deum cognoscendi et diligendi: in coelum oculos convertere nequeunt nec res adspicere divinas nec legem audire moralem, nisi dono illo ornentur supernaturali. Cujus doni participes fiunt in baptismo, qui omnia iis reddit quae per Adamum sunt perdita; verum statim iis denuo hoc donum adimitur, si in peccatum incidunt. Magnum, quod ita oritur, intervallum divinum inter et humanum obstat, quominus vera effici possit unio. Deus quidem in has terras venit, humano indutus corpore, sed quoniam humanae naturae non

ut novi dogmatis annuntiationem a Papa impetrarent, in lucem prodiiit liber: *Vie heroique de St. Anne, mère de Marie dicté au Révérend Père Malagrida par sainte Anne elle-même.* Quo in libro mater Mariae Malagridem certiore fecisse dicitur de sua ipsius immaculata conceptione. Profecto Hispania patria dici potest tenebrarum, quae nostro tandem tempore parvo luminis radio illustrantur!



particeps fuit, neque esse potuit, verus *θειάνθρωπος* non factus est, mediator nobis non exstitit, nec nostrae aliquid utilitatis attulit naturae. Cujus ergo locum excipit Maria, cui omnem filio debitum honorem tributum esse vidimus, quam mediatricem salutavimus in Romano-Catholico systemate, cujusque laudes in detrimentum gloriae Christi in dies crescunt.

Instituto examine in ipsius dogmatis veram significationem, ad quaestiones nostras redimus, quas, si consequens sibi esse velit Papa, ipse sibi proponat, iisque publice responsum det, ne quisquam inscius sit honoris, quem beata virgo secundum ultimum dogma jure consequi debet. Negetur igitur Mariae mors necesse est, aut affirmetur eam propter hominum peccata illam subiisse. Hasce quaestiones necessario deduci ex dogmate immaculatae conceptionis jam indicavimus. Quamdiu perfecta a peccato originali immunitas ei nondum tributa erat, quamquam in utero sanctificata, objici potuisset, mortem sequelam fuisse illius momenti, quo peccato originali subjacuerat. Qui vero praetextus admitti nequit, ubi nullo non tempore sancta habetur ejusque conceptio plane immaculata dicitur. Nulla causa adesse potest, cur mortua sit; dono nunquam caruit supernaturali, et donum illud prohibet, quominus mori potuerit, nisi eandem quam Christus ob causam. Quenam via igitur ineunda est? Nullum dubium esse potest, quin posteriorem sequatur Romano-Catholica Ecclesia. Mors enim Mariae pedetentim quidem mutata est in obdormitionem (*κοίμησιν*), haec vero in assumptionem, ita ut magis magisque *ἀποθέωσις* ei parata videretur; verum explicite ejus mors ab antiquo inde tempore minime negata est, licet a se invicem discrepent fere omnes, quotquot illam tractarunt materiam <sup>1)</sup>. Majus ergo periculum incurrunt Pontifices, si vetus dogma delent, quam si novum condunt. Praeterea ex omnibus quae disseruimus de Christo et de Maria, aperte patet Catho-

<sup>1)</sup> Vid. F. I. CALIXTUS l. I. pag. 278 seqq.

licam Ecclesiam omnia fere Christi praedicata in Mariam transluisse: sanctum se praestitit Christus, sic etiam Maria; sanctus fuit Christi conceptus, sic etiam Mariae, etc. Mediatrix igitur gradatim removet mediatorem, et posterior plane evanescet, si omnibus ejus praedicatis ornata erit prior. Quid igitur unum restat? — Mariam mortuam esse propter hominum peccata.

Ad hanc sententiam praeparandam nostrum inservit dogma. Magnum fecit gressum Romana Ecclesia in evehenda Maria, Christoque supprimendo, quoniam hoc dogma non tantum novo ornat Mariam praedicato, sed etiam tuto transitum parat ad aliud majoris prorsus momenti. Huic autem illud antecedere debuit: nunc vero Romana Ecclesia subsistere nec poterit neque etiam optabit. Haec potissima nobis causa esse videtur, cur multis in-  
vitis immaculatae conceptionis dogma annuntiaverit Papa. In eo enim fere omnes conveniebant, Mariam ante nativitatem sanctificatam fuisse, et a peccato originali mundatam. Hanc sanctificationem effecerat Christus, qui plane singularem suae redemptionis efficacitatem in Mariam ostenderat. Nunc vero redemptionis opus revera tollunt hujus dogmatis cultores, statuentes Christum liberasse Mariam a peccato, cui non subjecta erat. Si consilium eorum fuisset hoc affici Christum redemptoris honore, per temporis certe punctulum Mariam peccato originali inquinatam dicere debuissent. Quoniam vero hoc non faciunt, Mariam redemptam esse negant, vel certe ex omnibus unam eligunt, cui liberatione Christi opus non fuit. Instat ille dies, quo Maria ab omnibus Romano-Catholicis celebrari debeat mortua propter omnium hominum peccata. Et haec gloria tribui ei non posset, si ipsa etiam redemptione indignisset; cujus redemptionis necessitas tolli debuit, ut nihil amplius impediret, quominus eadem Mariae morti adscriberetur notio ac Christi ipsius 1).

---

1) Vid. JUL. MÜLLER l. l. »Ist sie die vollkommen Heilige, und hat sie doch unstreitig schwer gelitten in ihrem irdischen Leben, zuletzt



Praeterea ad hanc Mariae mortis significationem dudum jam straverat viam explicatio loci Gen. III: 15. Comparatione enim instituta Evam inter et Mariam, peccati auctrix Eva, meriti auctrix Maria habebatur, quae salutem attulit mundo, conterendo serpentis capite 1). Haec explicatio ansam praebuit, ut Mariam permulti participem statuerent operis salutiferi, multique ulterius progredientes, quamvis sententiam suam palam profiteri vix auderent, soli hoc beatæ virgini acceptum referrent 2). Quid

auch den Tod, so kann sie nicht gelitten haben um eigner Uebertretung und Verschuldung willen. Ihr Leiden und Sterben also musz ein Leiden und Sterben für Andre gewesen sein. Dann ist sie nicht mehr bloz die, welche für sich keiner Erlösung bedarf, sondern ihr Leiden hat eine genugthuende und sühnende Kraft, und zwar nicht mehr bloz, wie die Römische Kirche schon immer von ihren und aller Heiligen Leiden gelehrt hat, auf der Grundlage des Verdienstes Christi, sondern durch sich selbst."

1) AUGUSTINUS, Serm. 2 de annunt. Dom: »Eva occidendo obfuit, Maria vivificando profuit. Illa percussit, ista sanavit. Pro inobedientia enim obedientia commutatur, fides pro perfidia compensatur."

IRENAEUS, Libr. III adv. Haer. c. 33. »Sicut Eva inobediens facta, et sibi et universo generi humano causa facta est mortis; sic et Maria habens praedestinatum virum, tamen virgo obaudiens et sibi et universo generi humano causa facta est salutis. Evae inobedientiae nodus solutionem accepit per obedientiam Mariae: quod enim alligavit virgo Eva per incredulitatem, hoc virgo Maria solvit per fidem."

- 2) Und Lob und Preis und Siegesgesang erhebet  
 Das Himmelsheer: »Der alte, grosze Drache,  
 Er ist gestürzt! Auf! laszt Triumph uns singen,  
 Marien! Ew'gen Preis dem Herrn der Welten!  
 Wie wurdest du geschleudert,  
 Du Morgenstern, vom Himmel!  
 Gleich Nebelwolken, die gar schnell verschweben,  
 Ist deine Macht zerstoben;  
 Die Welt, die du dir angemaszt, ist unser,  
 Mag auch der Hölle Zorneswuth erglühn!"

ALBERTO LISTA Hispanus, cujus carmen de immaculata conceptione Mariae vertit Dr. SCHERMER.

enim opus esset Christi redemptione, si serpentis caput jam contrivisset Virgo? Quam ob rem ad filium refugeremus, quando omnis nostra salus ab ejus matre pendet? Ultimum sic evanescere coepit discrimen, quo Maria a Christo dignosci possit. Optime hoc perspexerunt Pontifex Romanus ejusque ministri, neque omiserunt, opportunitate favente, populi indulgere desiderio, cujus oculos quam maxime a Sacra Scriptura avertere et in beatam Virginem Mariam dirigere student atque optant.



## PARS TERTIA.

DE PRETIO ARGUMENTIS, QUIBUS IMMACULATA MARIAE  
CONCEPTIO SUPERSTRUITUR, STATUENDO.

---

Restat ut argumenta perpendamus, quibus opinionem suam superstruxit Papa Pius IX, quaeque ab aliis, dogma hoc tuentibus, afferri solent <sup>1)</sup>. Nemo ex me quaeret, ut quamvis innumerabilis sit ad eum oppugnandum argumentorum numerus singula enumerem, quae contra hunc errorem saltem dici possunt. Omni fundamento caret haec opinio nec quidquam in se habet veritatis; et tota quaestio nititur thesi, quae neque argumentis psychologicis defendi potest neque ab Ecclesia accepta

---

<sup>1)</sup> OSWALDI argumentatio pro immaculata conceptione huc redit: quum Eva et cum illa omnes feminae majus peccatum commisissent, quam Adam omnesque viri, peculiare illud Evae peccatum exstinxit Maria. »In Folge, inquit, der Sünde Eva's unterliegt das andere Geschlecht einem speciellen, durch deren grözere Schwere bedingten Fluche. Sollte im Erlösungswerke alles Sündenelend abgethan werden, so muszte auch das Geschlecht des Weibes seines besondern Fluches entlastet werden. Diese specifisch weibliche Entsündigung wird bewirkt durch Mariens thätigen Antheil am Erlösungswerke..... Sollte Maria den Fluch, der auf ihr Geschlecht drückt lösen, so durfte sie nicht selbst von ihm getroffen werden.»

est 1). Creatianismus enim quem vocant multa sibi repugnantia continet; traducianismum vero, qui hoc nostro tempore plurimos psychologos fautores habet et patronos, Romanae Ecclesiae sententiae minime favere, quisque perspicacior facile videbit et concedet. Sufficiat ergo argumenta enumerare atque in eorum veritatem inquirere, quibus usus est Papa ad comprobendam suam sententiam: cetera missa faciemus. Quodsi haec jam falsa reperiuntur, quid de ipso dogmate sit statuendum, quisque sentiet.

Acceptum referimus Reformationi, quae ad verum nos duxit cultum Dei, permultos non amplius fidem in Maria reposuisse, verum in Christo, qui solus nobis est via, veritas et vita. Fuerunt quidem inter Protestantes, praesertim in Ecclesia Lutherana 2), qui nimis quam par erat, beatam virginem colere pergebant, sed nemo eorum immaculatam Mariae conceptionem unquam defendit 3). Et mirum certe cuique videri debet quod,

---

1) Vid. G. POINSOT l. l. «Quoique la science n'ait rien déterminé à cet égard, ce qu'elle ne fera jamais: quoique la théologie soit dans la même ignorance, Benoît XIV, le cardinal Lambruschini et d'autres disent lestement et hardiment que cette union a lieu seulement après un certain temps, lorsque le corps est formé et dûment organisé. D'où le savent ils? *C'est une affirmation creuse; elle n'est pas appuyée sur la science.*»

2) Conf. MENSINGA l. l. III. pag. 223 seqq.

3) A nonnullis quidem citatur BILDERDIJK, scribens in poëmate de *Moedermaagd*:

Daar ge aan de voeten zinkt en aanbidt van dien zoon,  
 En op de vleugleu wiegt der serafs van zijn troon;  
 Zoo trekt me uw glans het oog, o zaligste, ooit geboren!  
 Maria, van uw God tot moeder uitverkoren!  
 Volzuivre! Hemelbloem, door goddelijke hand  
 Uit Edens paradijs op 's aardrijks hei geplant,  
 Van aardsche bron besproeid noch aardstofzwangren regen,  
 Maar ongeschapen licht, in uwen schoot gezegen,  
 En mensch geworden in dit heiligdom van stof!



quum medii aevi secula tale admittere nollent placitum, nostro hoc tempore idem illud publice omnibus credendum mandare non dubitaverit Papa. Crescit vero nostra miratio quando argumenta executimus, quibus ignotus nobis Constitutionis papalis auctor usus est <sup>1)</sup>. Niti se profitetur Constitutio *Ineffabilis* auctoritate sacrae scripturae, traditione patrum, singulari Catholicorum Antistitum ac fidelium conspiratione et Papae Praedecessorum constitutionibus. Ibi enim legimus: »Itaque plurimum in Deo confisi advenisse temporum opportunitatem pro immaculata sanctissimae Dei Genitricis Virginis Mariae conceptione definienda, quam divina eloquia, veneranda traditio, perpetuus Ecclesiae sensus, singularis Catholicorum Antistitum ac fidelium conspiratio et insignia Praedecessorum Nostrorum acta, constitutiones mirifice illustrent atque declarant, rebus omnibus diligentissime perpensis, et *assiduis fervidisque ad Deum precibus effusis*, minime cunctandum Nobis esse censuimus, Supremo Nostro judicio immaculatam ipsius virginis conceptionem sancire et definire." Nobis igitur incumbit officium probandi

Sacram scripturam,

Traditionem patrum,

Singularem Antistitum ac fidelium conspirationem, et

Papae praedecessorum constitutiones minime docere immaculatam Mariae conceptionem.

---

Immaculatam vero Mariae conceptionem his verbis minime inesse, quisque oculis non captus statim videat necesse est.

1) Vid. LABORDE l. I. pag. 98. »Mais maintenant qui a fait la bulle? Ce n'est pas le Pape: c'est évident: d'autres lui ont surpris le droit de la faire. Ce ne sont point les évêques; ils sont partis de suite après. Qui l'a donc faite cette bulle? — Est-ce quelque protonotaire? est-ce le R. P. Gagarin, ou le R. P. Passaglia? — Nous n'en savons rien; mais c'est toujours du jugement d'un inconnu qu'ont dépendu les termes qui commandent la foi à tout l'univers.»

---

*Sacra scriptura immaculatam conceptionem non docet.*

Omnium primus Papa Pius IX declarat, quod nemo ante eum asseverare ausus est, immaculatam conceptionem contineri Sacra Scriptura. Ardentissimi imo hujus dogmatis defensores hoc fundamento uti nolebant, dicentes disertum Dei verbum afferri non posse. Ipse Bellarminus caute statuit »pie ac recte existimari beatam virginem Mariam singulari Dei privilegio ab omni omnino peccato fuisse immunem: neque tamen expectandum esse, ut expressum Dei verbum afferretur, aut certa aliqua Ecclesiae definitio.” Et nostro tempore Perrone <sup>1)</sup> confitetur: »Sane si intimius rem perscrutemur, facili deprehendemus negotio nullum piae, quam vocant, sententiae fundamentum sive in traditione translucere, imo has aperte satis eidem adversari; sed illam unice ac totaliter inniti in agendi ratione quam servavit Ecclesia sequiori in aevo, et qua factum, ut festum Marianae Conceptionis ab ea probaretur” <sup>2)</sup>. Contra fere omnes contendit Papa in Sacra Scriptura immaculatam conceptionem inveniri: bene de omnibus meritis fuisset Catholicis, si locos etiam indicasset, qui hanc doctrinam sic exponunt, ut de vera eorum interpretatione dubium esse nequeat. Obiter tantum duos locos affert, quibus adjiciuntur ingenti numero dicta patrum, quae sparsim ex eorum scriptis excerpta, ita sunt conjuncta, ut omnia immaculatam conceptionem docere videantur, quamvis plurima ex eorum patrum scriptis sumta sunt, qui immaculatae conceptioni minime favent. Verum illorum locorum, quos tangit, sensum indagare lubet.

<sup>1)</sup> De immaculato B. V. Mariae conceptu an dogmatico decreto definiri possit, § pag. 152.

<sup>2)</sup> Sic etiam A. Lambruschini l. l. pag. 8: »Es ist wahr, die heilige Schrift sagt nirgends ausdrücklich, dasz Maria diesen besondern Vorzug erhalten habe.” — Ceterum levissimis falsisque argumentis uti haud dubitat.



Primus locus invenitur Gen. III: 15. *Praeterea inimicitias ponam inter te et mulierem, et inter semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus.* Haec vero interpretatio non admitti potest; loco pronominis *hoc* legitur *ipsa*, depravanda genuina lectione. Omnes enim Hebraei Codices lectionem exhibent הַיְשׁוּפָהּ (1), adeoque intelligi volunt haec verba de *semine* feminae. Quum vero contra omnem auctoritatem vocabulum הַיְשׁוּפָהּ mutetur in הַיְשׁוּפָהּ, loco הַיְשׁוּפָהּ legi debet הַיְשׁוּפָהּ. Quodsi tamen aliis hac mutatione minime opus esse videtur, ut verba ad Mariam referri possint, nulla causa adest cur Mariam hic significari putarent. הַיְשׁוּפָהּ sine dubio referendum est ad זָרַע et *proles serpentis* opponitur *proli humanae*. Quemadmodum illa omne serpentum genus indicat, haec omnino de toto genere humano accipienda est. Perversam igitur, quae in Vulgatae libris invenitur explanationem auctoritate sua confirmavit Pontifex Romanus atque, vocabulis ita depravatis significari ausus est contendere: »Virginem procul dubio venenatum serpentis caput contrivisse, ac propterea per gratiam ab omni peccati laebe fuisse integrum, ac liberam ab omni contagione et corporis et animae et intellectus, ac sempiterno foedere cum Deo conjunctam.» Quid de dogmate statuendum, quod hac ratione probatur, quid dicendum de veritatis amore illius viri, qui talem depravationem auctoritate sua confirmavit 2).

1) BELLARMINUS contendit se in *uno* codice lectionem invenisse הַיְשׁוּפָהּ.

Lib. 2, de Verbo Dei. cap. 12.

2) Ipse OSWALD, l. l. pag. 37 dicit: »Nun ist aber die Lesart *ipsa* sehr prekär, sondern, davon abgesehen, ist ihre direkte Beziehung auf Maria eine offenbare exegetische Willekür. Aber auch die Nichtigkeit der Lesart und ihre Beziehung auf Maria vorausgesetzt, wird jeder mit der Einrede bei der Hand sein: Warum sollte Maria nicht Schlangentreterinn, d. h. Siegerinn über den Teufel sein können wenn sie auch auf einen Augenblick in seiner Obmacht gewesen?

Alter locus invenitur Luc. I: 28 ubi angelus, postquam ad Mariam venit, ei dicit: *Χαῖρε, κεχαριτωμένη· ὁ Κύριος μετὰ σοῦ; εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξίν.* Quaenam verba Versio vulgata sic reddit: *Ave gratia plena: Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Quodsi *κεχαριτωμένη* talem explicationem admittit nunquam tamen ea significatione sumi potest, quae iis tribuit Papa, qui ex singulari solemnique salutatione efficit: »Deiparam fuisse omnium divinarum gratiarum sedem, omnibusque divini spiritus charismatibus exornatam, imo eorundem charismatum infinitum prope thesaurum, abyssumque inexhaustam, adeo ut nunquam maledicto obnoxia fuerit." Omni hanc interpretationem fundamento carere, quis est qui non videat? Vocabulum *κεχαριτωμένη* neque etiam sequens *εὐλογημένη* usquam talem significationem praebent; et nulla causa adest cur hoc sensu hic loci occurrerent <sup>1)</sup>, Si τὸ *gratosum* esse magnumque favorem obtinuisse apud Deum, immunitatem a peccato originali necessario complecteretur, non tantum beata virgo, sed omnes omnino fideles ab eo essent immunes, secundum illud Eph. I: 6: *εἰς ἔπαινον δόξης τῆς χάριτος αὐτοῦ, ἐν ᾗ ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς ἐν τῷ ἠγαπημένῳ.* In laudem gloriosae gratiae suae, in qua gratificavit nos sive gratis fecit gratiosos, in dilecto. Quia vero Paulus vocabulum illud omnibus tribuit fidelibus, oportet esse commune. At quod commune est, illud nullo praetextu, sic potest tribui uni <sup>2)</sup> ut reliqui omnes a be-

1) Vid. Christelijk Maandschrift l. l. pag. 194. Vocabulum *κεχαριτωμένη* bis tantum in Sacro Codice occurrit. *εὐλογημένη* contra saepius Matth. XXV: 34, Marc. XI: 9, Luc. XIII: 35, 1 Cor. XIV: 16, Gal. III: 8, Hebr. VII: 7, etc.

2) Ita DIDACUS STELLA apud CALIXTUM l. l. pag: 28 seqq.

Pag. 31: Benedicta *εὐλογημένη* est illa quae prae ceteris mulieribus felix et beata a Deo est praestita. Quod autem hic variant interpretes: alii gratiosam sicut Stella, alii gratificatam sicut Salmero et Jansenius interpretantur, nihil mirum, siquidum nullum est latinum unum vocabulum quod sic respondeat graeco *χαριτόσω*, ut hujus *ἐνεργ-*



neficii istius communione excludantur. Praeterea ex contextu luce clarius patet Mariam ita vocari propter gratiam, qua eam afficere voluit Deus, quod ex ea mundi Conservator nasceretur. Hanc ob rem *benedicta* vocabatur, quoniam talis tantique filii mater erat. Christi gloria in Mariam redundavit, et contrarium ergo hic legitur doctrinae Ecclesiae Romano-Catholicae, quae Mariae honorem auget, ut Christi gloria magis magisque efferatur. Hanc doctrinam inter multos commendaverat Thomas Aquinas dicens, Mariam non fuisse idoneam matrem Dei, si peccasset aliquando: »quia honor parentum redundat in prolem, unde per oppositum ignominia matris ad filium redundasset" 1). Eandem sententiam profert Papa in Constitutione, affirmans in ipsa Maria unigenitum ejus filium magis magisque honorificari, quum in filium redundet, quidquid honoris et laudis in matrem impendatur. Verumtamen haec ratiocinatio, licet apta sit ad populum decipiendum, nihil quidquam valet. Quoniam enim majori affectus est Christus honore, postquam Maria tot laudibus celebrata est? Occupatne revera subliorem locum in Catholico systemate Christus novo dogmate condito? Mirum certe, quod hujus rei nemo, ne constitutio quidem Pii IX mentionem fecit. Contra Mariae laudes multo magis Christi honorem et gloriam detrectavisse omnis nobis testis est historia. Praeterea non tali ratione Christi laudes efferre nos decet. Maxima ejus gloria fuit Patris voluntatem sequi, intimaque cum Eo frui consuetudine; haec gloria aliorum meritis augeri nequit, et quae hac de re docet Romana Ecclesia confirmant quae de anthropologia monuimus. Omnium perfectissimus Christus aliena laude non indiget, neque adeo quidquid honoris et laudis matri tribuitur, in filium redundare potest.

---

*γελαν* adaequet; unde factum, ut quisque propriam adhibuerit judicium.

1) Pars III. Quaest. XXVII, art. 4.

Loci igitur quos citavimus neque explicite neque implicite immaculatae Mariae conceptioni favere censendi sunt. Ab aliis alii adduntur e Veteris Foederis libris, atqui omni probandi vi destituti sunt 1), quam ob rem hisce supersedere licet, eo magis, quoniam ipsi Pontificii, qui sententiam suam de immaculata conceptione probare volunt, minima pro parte praesidium sibi quaerunt in Sacris Litteris, verum nonnullis patrum locis levioribusque rationibus contenti sunt 2). Neque hic rursus in memoriam revocabimus Sacrum Codicem omnes vocare peccatores, qui ex Adamo nati sunt, uno tantum excepto Jesu Christo 3). Res per se clara est. Romana Ecclesia dogma enuntiavit, quod Sacrae Scripturae effato plane oppugnat. Parvi ergo, nullius imo momenti verbum Dei habetur. In eo enim non tantum frustra tale quaeritur dogma, quod ad salutem necessarium sit existimandum, verum multis etiam verbis refutatur et contrarium docetur. Meliorem accepit Papa patefactionem, quam quae sacris litteris consignata est. Olim Sacra Scripta ad diversas opiniones adaptabantur, secundum illam Bernardi sententiam: » Quoties Ecclesia in Scripturis Sacris verba alterat vel alternat, fortior est illa compositio, quam positio prima verborum" 4).

1) Cantic. cap. II et IV, Psalm XL, Psalm LXXVII, etc.

2) Scriptor Catholicus LENAIN DE TILLEMONT in *Mémoires pour servir à l'Hist. eccl. vol. I pag. 25*; »L'Évangile," inquit, »ne nous apprend rien de son origine, sinon qu'elle était de la race royale de David et originaire de Bethléem.... Pour le reste de sa généalogie et de sa parenté, c'est une curiosité assez superflue, dit un des plus grands hommes du XI Siècle, de vouloir savoir ce que l'Évangéliste n'a point jugé nécessaire de nous apprendre.... Car, en effet, nous sommes contraints d'avouer que tout ce que l'on en a jamais dit, n'est fondé que sur des écrits entièrement apocryphes et pleins de fables.

3) Rom. V: 12, Gal. III: 22, 1 Cor. XV: 22, 1 Petr. III: 18, etc.

4) Serm. 3. in vig. nativit. Sic exstiterunt Psalteria B. Mariae virginis et Biblia Mariae, in quibus omnia fere quae in Sacris Bibliis continentur beatæ Mariae adaptantur. De quorum librorum auctori-



Nunc vero plane spernuntur, eorumque effata Papae verbo postponuntur. Sed eo tendit Romana Ecclesia, ut magis magisque a vero fundamento, quod divinum verbum est, se avellat, atque incidat in abyssum errorum, unde exitus maxime difficilis sit futurus 1). Cuiam enim hoc libro prorsus opus erit, in quo haud omnia quae necessaria sunt ad salutem, inveniri possint? Deus non amplius audiri debet sed Papa, et quo magis hujusce libri pretium diminuitur, eo magis auctoritas crescit Papae, cui quidquid velit statuere licitum erit.

---

*Traditio patrum immaculatam conceptionem non docet.*

Praejudicatae Pontificis Romani opinioni vel inscientiae saltem adscribendum est 2), quod docere voluit hanc de immaculata conceptione doctrinam patrum scriptis contineri. Utrum ergo, antequam suam sententiam pro certo enuntiaret, omnia quae huic doctrinae aliquid lucis possent afferre, perscrutatus sit, vehementer dubitamus. Quidquid est, traditionem patrum immaculatae conceptioni haud favere inter omnes con-

---

bus adhuc sub iudice lis est: plures tamen putant prius scriptum esse a BONAVENTURA, posterius ab ALBERTO MAGNO.

1) Vid. Zeitschrift für Protestantismus und Kirche 1855. 4. Heft. pag. 202. »Aber viel gröszer ist doch unsere Trauer, dasz durch jenes Dogma der Wahrheitssinn in der R. Kirche noch mehr abgestumpft, das Verständniz der Schrift noch mehr verhindert und verhüllt, und Unglaube und Widerchristenthum für jetzt wenigstens gemehrt wird.»

2) Vid. LABORDE, l. l. pag. 75. »Le Pape, qui a été le seul juge, n'a pas plus examiné l'Écriture et la tradition que les autres. Je suis forcé de le dire: le Pape actuel passe pour fort peu initié aux sciences théologiques, et pour peu capable de remuer les profondeurs de la tradition. Tout le monde sait à Rome que, dans la conduite des affaires religieuses, il est obligé de se laisser gouverner, et que ses actes sont l'ouvrage de ceux qui l'inspirent.»

stat 1). Ipse Bernardus dicit: »non probat ratio, non commendat antiqua traditio" 2). Melchior Canus, qui adfuit concilio Tridentino, affirmat: »Sancti namque omnes, qui in ejus rei mentionem incidere, uno ore asseverarunt, Beatam Virginem in peccato originali conceptam esse" 3). Et, ne plures enumerem, inter recentiores H. Klee 4) Oswald 5) et Laborde 6) eandem sententiam professi sunt. Haud omnes igitur Catholicos eadem inscitia laborare aperte patet, quae ut confirmentur, nonnulla sufficiant patrum nomina, qui omnes homines

1) Epistola presbyteri Achaiae de passione Sancti Andreae apostoli et martyris hunc in usum adhiberi nequit, quoniam ejus authentia certis argumentis negatur. Vid. contra LAMBRUSCHINI l. l. pag. 36.

2) In Epistola ad Canonicos Lugdunenses.

»Bernard de Clairvaux est le dernier anneau de la chaîne des Pères qui, suivant l'Eglise romaine, nous ont transmis la tradition, et il semble que ce soit par l'effet d'une disposition particulière de la Providence, que Dieu a permis que Bernard, d'ailleurs plein de dévotion envers la vierge, s'élançât comme un lion contra la doctrine de immaculée-conception."

La tradition, traité de LOUIS DESANCTIS, pag. 28.

3) Loci Theol., Colon. Agrip. 1585, fol. 217.

4) Katholische Dogmatik F. II, pag. 348: »Die Kirche hat constant erklärt, dasz das ganze Menschengeschlecht durch Adam unter der Sünde ist. Die Väter lehren, Christus allein sey ohne Sünde geboren, weil er allein von einer Jungfrau geboren; lehren keine unbefleckte Empfängnisz der heil. Jungfrau, sondern nur eine nachfolgende Heiligung."

5) »Die Tradition bezeugt zwar, dasz die Väter in Maria etwas durchaus Auszerordentliches gefunden und ihr eine Sonderstellung zuerkannt haben; will man aber einen genügenden Beweis, so entschlüpft eine Stelle nach der anderen und bleibt kaum eine oder die andere, welche unsere Meinung entschieden documentirt, unangefochten," l. l. p. 38.

6) l. l. pag. 79: »La tradition des S. S. Pères, qui est la doctrine de l'Eglise, comme le concile de Trente l'a défini à jamais, n'a donc pas été ici examinée. Si on l'avait examinée et qu'on eût voulu la suivre, on aurait décidé tout le contraire, parce que la doctrine des S. S. Pères est contraire à la nouvelle définition.



praeter unum Christum peccasse statuunt. Si vero Mariam peccati expertem habent, hoc accipiendum est de ejus sanctificatione ante nativitatem. Clemens Alexandrinus <sup>1)</sup>, Tertullianus <sup>2)</sup>, Origenes <sup>3)</sup>, Augustinus <sup>4)</sup>, Fulgentius <sup>5)</sup>, Anselmus <sup>6)</sup> multique alii Mariae immaculatam conceptionem adscribendam

1) Paedag. libr. III, cap. 12: »Solum verbum est, in quod peccatum non cadit; est enim peccare natura omnibus innatum et commune.»

2) Libr. de anima cap. 41: »Solutus Deus sine peccato et solus homo sine peccato Christus, quia et Christus Deus.»

3) Hom. XII in Leviticum. »Omnis qui ingreditur mundum, quod in vulva matris est positus, et quod materiam corporis ab origine paterni sanguinis sumit, in patre et matre contaminatus dici potest. Solutus meus Jesus in matre contaminatus non est.»

4) AUGUSTINUS monet contra Pelagium, qui multos homines immunes dixerat a peccato actuali, quod hujus peccati nemo absolvi poterat, nisi sancta virgo Maria, de qua nullam habere voluit quaestionem. De peccato enim actuali hic loci sermonem esse docent sequentia, quae sensum pervertunt, si explicanda essent de peccato originali. »Hac ergo virgine excepta, si omnes illos sanctos et sanctas, cum hic viverent, congregare possemus et interrogare, utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus: utrum hoc, quod iste dicit, an quod Joannes Apostolus? Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, nonne una voce clamassent: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est?» (de natura et gratia. cap. 36).

5) De Fide ad Petrum c. 26: »Firmissime tene, et nullatenus dubites omnem hominem, qui per concubitum viri et mulieris concipitur, cum peccato originali nasci, impietati subditum, mortique subjectum, et ob hoc natura irae filium nasci.»

6) Cur Deus homo cap. XVI et XVII, in quibus confitetur se certi nihil hac de re monere velle, non intelligens, qua ratione sapientia Dei hoc fecisset, sed cum veneratione tolerans aliquid esse in secretis tantae rei quod ignoremus. Docuit tamen decens fuisse Mariam, antequam ex ea mundi salvator nasceretur, a peccato mundatam esse. »Virgo autem illa, inquit, de qua ille homo assumptus est, fuit de illis, qui ante nativitatem ejus per eum mundati sunt a peccatis, et in ejus ipsa munditia de illa assumptus est.»

esse negant. Et ut seriem claudamus, Bernardus dicit: »Etsi quibus vel paucis filiorum hominum datum est cum sanctitate nasci, non tamen et concipi ut uni servaretur sancti prae-rogativa conceptus, qui omnes sanctificaret, solusque absque peccato veniens, purgationem faceret peccatorum.” Quibusnam aliis opus est argumentis, ut manifestum fiat Papam veritati vim intulisse, vel, ne severiores videamur, vehementer errasse in adducenda patrum traditione 1)? Neque enim universitate, neque antiquitate, si excipere vis haereticos, quos oppugnavit Epiphanius, nec consensione gaudet hocce dogma; attamen haec verae traditionis signa sunt, sicut Vinc. Lerinus dicit. »Quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est, hoc est vere proprieque catholicum” 2).

Seculo demum XII immaculata conceptio invaluit in Ecclesia, et multi omni tempore in contrariam sententiam abierunt. Postea a scolasticis exulta est, quamquam omnes ejus propugnatores non ulterius procedere potuerunt quam ad congruentes quas dicebant rationes: decet, oportet, par est, etc. 3). Maximae Ec-

1) Vid. E. DE PRESSENSÉ l. l. pag. 13: »Quand le pape ajoute que le dogme nouveau a été consigné au jugement des Pères dans la sainte Ecriture et confirmé par l'autorité imposante de leur témoignage, on se demande ce qui l'empêchera de proclamer demain que le blanc est noir, que le soleil tourne autour de la terre et que le jésuitisme est l'école de la sainteté.”

»Les traditions de l'Eglise romaine sont une sorte de caoutchouc qui s'étire de tout côté et s'étend en tout sens.”

La tradition, traité de LOUIS DE SANCTIS, pag. 29.

2) Quae quamquam vera sunt, c. PASSAGLIA in libro: de immaculato Deiparae semper virginis conceptu, asserere ausus est, omnes omnino patres immaculatam conceptionem docuisse.

Neque etiam hoc dicere dubitavit scriptor in *Civita Catholica* IV *Lieferung*, pag. 316: »Der Papst wiederholt, wenn er spricht, das Dogma, so seit 18 Jahrhunderten auf allen Wegen der neuen Generationen wiedertönt, und die Kirche ist dieses Dogmas gewisz, weil das Orakel des Vatikans sich dafür verbürgt.”

3) Vid. G. POINSOT l. l. pag. 94: »Tandisque les catholiques romains



clesiae columnae novum dogma minime amplexae sunt. Neque Anselmum nec Bernardum nec Thomam Aquinatem, quos sanctos declaravit Ecclesia, Pontifex Romanus sibi assentientes habet. Quorum in verba ab una parte prae ceteris jurat Ecclesia, ab altera parte ingratis eos respuit. Sanctos illos ergo fefellit res, ex qua, dogmate constituto, aeterna pendet salus: meliorem iis accepit Papa patefactionem, nec publice profiteri ausus est magnos hosce viros magnam illam rem praeteriisse. Quid tandem consiliis Papae obstare poterit? Nec Sacra Scriptura, nec traditio patrum docent immaculatam conceptionem.

*Singularis antistitum ac fidelium conspiratio immaculatam conceptionem non docet.*

Quae semper fuit opinionum diversitas haec etiam nostro tempore locum habet, quod nemo mirabitur. Fieri potuit ut nemo vocem suam efferret contra doctrinam nec Sacra Scriptura nec traditione superstructam, auctoritate coactus Papae, cui subjectum esse cujusvis est Romano-Catholici. Fieri etiam potuit, ut omnes, persuasos sibi habentes de Sancti Patris dignitate, fide amplecterentur, quod divina patefactione illustratus cum iis magnus ille vir communicaverat. Sed talem consensum non in mente habemus, quando de singulari Catholicorum Antistitum ac fidelium conspiratione loquimur. Quodsi prius verum esset, nullum et hoc argumentum praerberet ad probandum, ex communi desiderio novum dogma promulgatum esse. Sed et hoc et illud historia refutat. Ipsa constitutio *Ineffabilis* nos docet, Papam die 2 Febr. 1849 litteras encyclicas misisse ad omnes Fratres totius Catholici or-

s'efforcent dans leur religion terrestre et mondaine, d'élever Marie leur idole, Dieu a trouvé *convenable* d'abaisser Jésus-Christ!"

bis, ut adhibitis ad Deum precibus scripto significarent, quae esset ipsorum fidelium erga immaculatam Deiparae conceptionem pietas ac devotio, et quid ipsi praesertim Antistites de hac ipsa definitione ferenda sentirent. Verebatur enim, ne multi Jesuitarum opinionibus hac in re non addicti, fortasse in aliam abirent sententiam, quod eventu comprobatum est. Hanc ob rem etiam primum triginta tantummodo episcopos Romam venire jussit, quos plane sibi consentire sciebat, quibus postea demum alios adjunxit, ne populi miratio excitaretur. Hi vero nihil ibi fecerunt nisi solemnitati adsistere: res ipsa a Papa jam definita erat, atque iis interdicebatur, ne opinionem suam hac de re in lucem proferrent. Omnes credere debebant, quoniam dicendi libertas ad variam quaestionis solvenda rationem ducere potuit. Persuasum certe erat Papae, vel potius persuasum erat Jesuitis, quibus instigantibus omnia fecisse videtur, singularem illam Antistitum conspirationem locum non habituram; et optimum remedium, quo contrariae haud audirentur sententiae, fuit haud dubie Episcopis imponere silentium. Haec etiam causa est, cur Concilium Generale legitime congregatum, secundum constantem in Catholica Ecclesia usum convocare non ausus sit, quoniam expectandum fuisset, multos nunquam partes relicturos magni nominis virorum Anselmi, Bernardi, Thomae Aquinatis aliorumque 1). Et revera haud exiguus est numerus eorum, quos novum dogma vehementer offendit. Quamvis non tanta sit eorum auctoritas, quanta tempore Sixti IV, Pii V, Gregorii XV et Alexandri VII, Dominicani tamen etiam nunc vivunt et publice in ipsius Italiae urbe se opposuerunt 2).

1) Quaerere igitur licet utrum *inscitiâ* an *malitiâ* scriptum sit, quod legimus in *Civiltà Cattolica* pag. 305: »Und in der ganzen Kirche ist nunmehr kein Einziger, der hinsichtlich der unbefleckten Empfängnisz anderer Ansicht wäre oder nicht glaubte.»

2) Vid. MÜLLER Zeitschrift 1855 N<sup>o</sup>. 1: »Für ein solches ordentliches



Multi inveniuntur, qui tacite temporum cursum observant, tristitia afflicti, quod tam levi animo divinae veritati illudit Romana Ecclesia. Alii aperta galea pugnant contra hujus saeculi monstrum, quod nihil sanctius censet, dummodo ad ipsius scopum tendat. Inter eos Laborde, qui propter veritatis amorem multa aspera atque adversa expertus est: cui quum hac in re fidendum sit testi oculato, valde dubitandum est num maximae Catholici orbis parti novum placuerit Papae decretum <sup>1)</sup>.

Ex hisce satis intelligi potest argumentum conspirationis omni omnino veritate destitutum esse. Et quid de ipso argumento statuendum? Si eam accipis argumentationem, quod omnes sana ratione praediti propria sua voluntate aequalem protulerunt sententiam, aliquam certe probandi vim habet, quatenus refertur ad res ex experientia vel ex cogitationis legibus petitas. Divina vero veritas a communi hominum consensu non pendet, sed a Deo est patefacta; neque hominis est arroganter veritates constituere, quae ad omnium salutem necessariae sunt. Praeterea tali sensu conspiratio apud Romano-Catholicos occurrere nequit. Solius enim Antistitis est iudicium ferre de fide, omnibusque quae ad fidem pertinent rebus. Fideles hac

---

allgemeines Concil, für eine neunzehnte ökumenische Synode wird diese bischöfliche Konferenz in Rom, wie ansehnlich sie übrigens sein mag hoffentlich nicht ausgegeben werden sollen. Allerdings ist der Augenblick günstig genug, um sich auf die äussersten Spitsen des Papalsystems zu stellen, auf welchen die Unfehlbarkeit des vom Stuhle Petri lehrenden Papstes in Sachen des Glaubens zuletzt ausreichen musz, um ein neues Dogma zu sanktioniren."

<sup>1)</sup> Vid. LABORDE l. l. pag. 64: »Si on voulait ouvrir pour les laïques, un scrutin de vote bien impartial et bien indépendant dans toutes les paroisses, et comparer ensuite les votes avec le nombre total des Chrétiens inscrits sur les registres des baptêmes, je doute que les votes affirmatifs formassent la majorité.»

in re nunquam audiuntur: ne cogitare quidem iis licitum est de iis, quae Antistes docet. Quem in omnibus debent sequi, ab ejus recedere via, peccatum mortale est. Quae quum sit Catholicorum conditio, quid haec conspiratio sibi velit, iterum rogare nobis licet. Denique quare tali opus est conspiratione, quum sermo sit de veritate, de qua aeterna pendere salus dicitur. Si Deus noster Pater, donec omnes in unum convenissent, commemoratus esset, nondum exortum fuisset Evangelii lumen. Quare cunctatus est Papa, priusquam tanti momenti veritatem promulgavit? Nonne majoris salutis quae ex novo dogmate oritur sibi conscius, ipse beatitudinem diminuit eorum, qui immaculatae conceptioni fidem non habuerunt, fideque Christo habita mortui sunt? An omnium exspectavit consensum? Quis est qui in Romana Ecclesia ea docet, quibus ad salutem opus sit hominibus? Deus an vero homines semet invicem? Neuter: Papa solus fons est patefactionis. Quae heri nondum fuit veritas, hodie talis ab eo indicatur, et nulli licet hominum ejus declarationem, pronunciationem ac definitionem infringere vel ei ausu temerario adversari." Facile animadvertimus, quo haec omnia tendant. Verbum Dei insufficiens est; in eo quae maxime sunt aestimandae haud inveniuntur veritates. Solus has Papa cum populo communicat, in eum omnium oculi vertuntur; vicarius Christi falli non potest, et nullum dubium esse debet, quin verum sit, quidquid dicat 1). Hoc semper ob oculos habuerunt Jesuitae, ut auctoritatem Papae omni ratione quam maxime stabilirent 2); et quoniam recte animadverterunt, novum

---

1) Conf: *Civiltà Cattolica*, l. l. pag. 322. »Ein einziger Mund hat gesprochen, und dieser Mund trägt ein göttliches Siegel. Es ist somit Gottes Stimme, die geredet, und dies genügt. . . Die Stimme hat gesprochen, und alle Dissonanz hat sich in eine grosse Consonanz von Harmonie aufgelöst. Siehe da die Macht der Auctorität!"

2) »Les jesuites ont été tentateurs et corrupteurs pour les papes, comme



dogma ei prodesse, omni tempore omnique modo id promovere haud desierunt. Vix vel ne vix quidem in historia reperies tempus, quo talem se praestitit Papae auctoritas, ut coram toto mundo annuntiet et ab omnibus agnosci velit dogma, quod contra diserta Sacrae Scripturae effata, contra traditionem patrum permultorumque consensum aperte pugnat.

*Papae praedecessorum constitutiones immaculatam  
conceptionem non docent.*

Quam breviter exposuimus historia satis docet, etiam hoc, quo utitur Papa argumentum, omni veritate destitutum esse. Ante eum Paparum nullus dogma de immaculata conceptione definivit diserteque pronunciavit. Fuerunt, sicuti vidimus, nonnulli qui, Franciscanorum et Jesuitarum auctoritate coacti, nonnullas ederent constitutiones, quae huic dogmati favere viderentur, verum maximam partem eo consilio in lucem prodierunt ut lites et scandala, quae in dies crescebant, compescerentur. Quenam eorum fuerit privata opinio, ex hisce constitutionibus fortasse facile effici potest, praesertim Alexandri VII, cujus verba citavit Pius IX. Attamen iis certe non tam firmiter persuasum erat de veritate novi dogmatis, quod omni fundamento caret, sive potius, quae vera causa esse videtur, duabus placere voluerunt partibus, atque ita ambigua agere ratione. Quidquid est, hoc constat, nullum eorum unquam diserte hoc dogma defendisse; ne nomine quidem dogmatis, sicuti Papa temere id mutat, in constitutionibus usi sunt; ubique legitur *conceptio virginis immaculatae*, nunquam vero *conceptio virginis immaculata*. Praeterea alii fuerunt Papae antecessores, qui Mariam a peccato originali minime immunem habebant,

---

pour les rois. Ils ont pris les rois par la concupiscence, les papes par l'orgueil." I. MICHELET du Prêtre de la femme de la famille pag. 86.

sed hanc tantummodo Christo tribuunt proprietatem, inter quos Leo I 1), Gregorius I 2) Urbanus IV 3) aliique.

Sed haec sufficiunt, ut cuique persuasum sit, nemini sanctorum quos semper coluit Romana Ecclesia Patrum, sed unice Pio IX honorem esse tribuendum, quod tanta gloria affecta sit beata virgo Maria. Fortasse jucunda ei non fuit haec observatio, atque igitur veritatem mutilare haud dubitavit, sperans certe fore ut nemo accuratius in hanc rem inquireret, et quisque pro veritate acciperet, quae cum historia aperte pugnant. Sed quare ei non suffecerunt argumenta ex Sacro Codice, ex traditione patrum et ex omnium consensu petita; quare etiam ad constitutiones praedecessorum, quas ipse citat, et quarum accurata lectio immaculatae conceptionis nihil praebet, provocare iisque niti periclitatus est? Quoniam huic illive mirum videri potuit quod novum promulgaverat Papa dogma, ab aliis ejus antecessoribus nec definitum neque acceptum; atque ergo facile oriri potuit quaestio, quisnam Paparum falli esset nescius, quoniam non facile simul errore carentes habendi sunt ii, qui plane in contrariam sententiam abierunt. Nostrum non est hanc quaestionem solvere, quoniam eorum neutrum falli nes-

---

1) Serm. XII de pass. Dom: »Solut enim beatæ virginis natus est filius absque delicto, non extraneus ab hominum genere, sed alienus a peccato, quum de Adæ propagine Unus existeret, in quo diabolus quod suum diceret non haberet.»

Serm. I de Nativ. Chr. »Quemadmodum nullum a reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit.»

2) Ezech. lib. I Hom. VIII: »In solo autem sibi unigenito Domino nostro Jesu Christo complacuit, quia hunc inter homines hominem creasse eum non poenituit, in quo peccatum nullum invenit. In solo ergo sibi redemptore nostro complacuit Pater, quia in eo solo non invenit culpam.»

3) Metaphr in Ps. L: »In omnibus enim trahitur iniquitas ex Adam, et vinculum peccati et propago mortis, Te solo excepto, Domine Jesu Christe, qui natura mirante, de sancto spiritu es conceptus.»



cium habemus; ex iis vero quae diximus aperte patet, propter solam quam edidit constitutionem, hoc ornari non posse Papam Pium IX praedicato. Nonne ergo veritatis amore duci debet Christi vicarius, qui mundi lucem se esse profitetur? Nonne etiam ad hoc genitus est et ad hoc venit in mundum ut testimonium daret veritati 1)? Nonne fideles suos ita amore amplecti debet, ut intimum ejus sit votum, quod omnes magis magisque divina veritate inbuti sint, perfectaue fruantur cum Deo communiōne 2)? Vitae suae scopum nobis exhibet in constitutione, ubi »vixdum licet immeritus arcanodivinae Providentiae consilio ad sublimem Petri cathedram evectus totius Ecclesiae gubernacula tractanda suscepit, *nihil certe antiquius se habuisse* dicit, quam pro summa sua vel a teneris annis erga sanctissimam Dei genitricem virginem Mariam veneratione, pietate et affectu ea omnia peragere, quae adhuc in Ecclesiae votis esse poterant, ut beatissimae virginis honor augetur, ejusque prerogativae uberiori luce niterent.” Aperte igitur ipse professus est beatæ virginis augere honorem sua magis interesse quam divinum verbum Christique patefactionem, quae ad salutem ducit, cum hominibus communicare. Nihil refert, utrum Sacra Scriptura Patresque, quos semper in honore habuit Romana Ecclesia contrarium docuerint necne, Papa solus docet omnibusque silentium imponit. Profecto hoc culmen est auctoritatis, qua unquam potiti sunt Romanae Ecclesiae Papae. Affirmat quidem, ne eos qui Sacram Scripturam maximi ducunt, nimis offendat, hanc quoque suae favere opinioni; verumtamen quisque non captus oculis sacras litteras inspiciens contrarium legat ubique necesse est. Plurimis vero intime persuasum est, hoc dogma fundamento verbi Dei haud suffulciri. Et ipsum dogma et qua promulgatum est ratio, hoc

1) Joh. XVIII: 37.

2) Joh. XVII: 17 seqq.

spectant consilium, ut nemo in posterum fidem habeat aliis, quam soli Papae effato. Novum dogma oculos avellit a Deo et Christo eosque in Mariam dirigit 1); et nomen Christi mediatoris non amplius usurpabitur, quando hujus dogmatis consequentia, Mariae mors expiatoria ab omnibus tamquam dogma agnoscere debet. Et harum rerum auctor laudabitur Papa, qui Spiritu Sancto ductus, columnam se profitetur ac firmamentum veritatis. Sic idem spectat ratio, qua promulgatum est. Non tantum omnem Sacrae Scripturae et patrum sprevit auctoritatem, verum etiam omnium viventium judicia contempsit, quamquam hac de re cum iis se disseruisse contendit. Prope adest tempus, quo aperte exuet personam, publiceque

---

1) Luce clarius hoc patet etiam ex multis carminibus, quae nostris diebus in lucem proferuntur, e. g. Unserer Lieben Frauen Preis von Dr. L. LANG in quibus praesertim nos offendit:

Du verstehst uns're Sorgen  
Keine Noth blieb dir verborgen  
Hier auf *deiner* Erdenbahn  
Hülffreich ist nun den Versagten  
Tief Betrübten, schwer Geplagten  
*Dein* Erbarmen aufgethan. (pag. 184).

Du *allein* vermögst, Madonna  
Mir den hellen Tag zu bringen  
Wenn die Strahlen deiner Liebe  
In das trübe Herz mir dringen, (pag. 248).

Et II. DENZINGER l. l. pag. 49 nobis carmen commemorat Joannis a Geissel, quod ita incipit:

Wunderschön prächtige, hohe und mächtige  
Liebreich holdselige, himmlische Frau  
Der ich mich ewiglich weihe herzinniglich,  
*Leib* Dir und *Seele* zu eigen vertrau',  
Gut, Blut und Leben will ich Dir geben  
*Alles was immer ich hab', was ich bin*  
*Geb'ich mit Freuden, Maria, Dir hin.*



profitebitur, Ecclesiam esse Papam, sibi que soli competere jus veritates constituendi iisque hominum conscientias vincendi. Quales nunc res sese habent, subsistere non potest Petri successor; vel procedere debet, vel recedere. Faxit Deus ut veritati cedat erroris propugnator, quo melius homines adspicere possint ipsum Christum non in Papa neque in Maria, sed qualem se praestitit hac in terra ἀπαύασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτῆρα τῆς ὑποστάσεως τοῦ Θεοῦ <sup>1)</sup>).

Omnia igitur, quibus novi dogmatis defensio superstruitur argumenta, falsa reperimus; neque adeo opus est ut plura addamus, quoniam, quid de illa re cogitandum sit, perpensis argumentis perpensa que anthropologia cum ea intimo nexu conjuncta, omnibus aperte patet.

---

<sup>1)</sup> Epist. ad Hebr. I: 3.

## CONCLUSIO.

---

Peractum nostrum opus respicientes valde dolemus Romanam Ecclesiam in errores incidisse, quibus benefica Euangelii lux obumbratur. Intime nobis persuasum est divinam veritatem, quae totam nostram salutem complectitur, unice petendam esse ex Sacro Codice. Quae Sacris hisce libris non continentur vel cum iis pugnant, rejicimus; eosque tanti facimus ut omnes contrarias falsasque opiniones diligenter arceamus, et, si fieri potest, funditus tollere studeamus. Contra ipsum errorem arma convertimus, minime vero contra eos, quorum oculi errorum nebulis obducti sunt. Omnes amore amplecti volumus fratres in Christo, et spem fovemus animo fore ut omnes aliquando divina illustrentur veritate. Quodsi igitur nonnullos offendisse videamur, hoc minime fuisse propositum sed tantummodo veritatis studio nos ductos esse hic palam profiteamur.

Quam secuti sumus in nostro argumento tractando rationem ac methodus facile quisque intelliget et comprobabit. Primo enim dogmatis historiam exponentes, ostendimus sensim sensimque in Ecclesia Romano-Catholica praeparatum, lubenter acceptum omnibusque credendum mandatum esse novum Mariae immaculatae conceptionis dogma. Deinde quaenam sit hujus dogmatis vera significatio, perscrutati sumus, quoniam iudicium ferre de re, quam non plane perspectam habemus, ineptum nobis videbatur. Quibus peractis majore jure argumenta ponderavimus, quibus immaculata conceptio superstructa est.



Mirum vero cuidam videri potest, quod per tot saecula agitatam controversiam nostro demum tempore diremerit Pontifex Maximus. Cui quaestioni respondendae sufficiant nonnulla lineamenta historica, quibus nostrae disquisitioni finem imposituri sumus.

Quisque historiae Ecclesiae Romano-Catholicae haud ignarus, facile concedet, gloriosis illis Gregorii VII et Innocentii III temporibus, nunquam postea fructos esse Pontifices Maximos. In dies revera delapsa est eorum auctoritas; et quum ipsi imperium tenere viderentur, subjecti erant Jesuitis, qui summam eorum dignitatem vindicare ac stabilire curae semper sibi habuerunt. Auxilio consilioque suo aderant Pontificibus, quibus tacita conditione, ut hi nunquam ipsorum voluntati resisterent impositum erat.

Magno in periculo versans Pius IX, auxilium imploravit Jesuitarum, quorum fidens auctoritati omnia peragere voluit, ea etiam, quae in detrimentum Sacrae Scripturae divinaeque veritatis tendunt. Dubia enim erat Catholici orbis conditio, quum Petri cathedram adscenderat Pius IX. Propensi erant multorum hominum animi in libertatem, neque amplius se flectere volebant servili sub jugo Papae auctoritatis. Pius opinionum fluctui resistere non potuit, iisque omnia se indulturum promisit, nunquam tamen passurus summi imperii minimam partem abrogari. In specie ergo populo morem gerens, dignitatem suam revera stabilire conatus est; sed populus minime contentus promissis, quibus non stetit princeps, seditionem concivit. Quum igitur spes eum falleret fore ut summum imperium hac ratione vindicaretur, auxilium ei praestare volebant Jesuitae, qui omni qua poterant vi eum adjuvantes, ea denique usi sunt opportunitate, ut dubia ipsorum recuperaretur potestas. Utriusque ut compotes fierent voti, prae ceteris necessarium erat omnem libertatem suppressere omniaque auferre, quae ad eam alendam inservire potuerunt. Maximo odio prosequebantur Protestantismum, ex libertatis prin-

cipio ortum, nec minus divina scripta, quae veram homines docent libertatem. Papae suaserunt, ut edicta promulgaret contra Sacrae Scripturae propagationem, quae omnium haeresium dicebatur fons, cujus lectio multorum hominum animis tantopere nocuerat. Lubenter se duci passus est Pius IX. Sapientia nitebatur Jesuitarum, quorum opera in dies crevit ejus auctoritas. In omnibus, quas edidit constitutionibus, Sacrae Scripturae dimi-  
nuit sprevitque auctoritatem, se ipsum vero ad coelum extulit, totius Ecclesiae caput se profitentem, omniumque Dominum et Patrem, cui omnes dicto audientes essent. Interea liberorum institutione potiti erant Jesuitae; magnam in scholis exercebant auctoritatem, nec quidquam ibi doceri licuit nisi quod ipsorum principii congruum esset. Evangelii lux quam vehementissime avertebatur, ubique vigeant tenebrae maximaque ignorantia. Et quo magis tenebris cessit lux, servitudinique libertas, eo facilius suam exercere potuit Papa auctoritatem.

Ex historia novimus Jesuitas magnos semper fuisse Mariae cultores, ac praesertim novo dogmati omni ardore adhaesisse, quoniam in eo indolem Catholicismi cernebant. Ubique Mariam coli jubebant, puerosque a teneris inde amore et veneratione erga eam imbuebant. Duas quam maxime promovebant res, quae novis editis libris liberorum animis inculcabantur: auctoritatem Papae et cultum Mariae. Nova innumerabili miraculorum numero adjiciebantur miracula: nihil antiquius habebant quam Mariae gloriam augere. Jesus cujus nomen ferebant, in oblivionem abiit, omnesque in Mariam accumulati sunt honores, quibus solus Christus affici debet. Quae vero omnia eo peracta sunt consilio ut Sacra Scriptura nihili duceretur, et Papae potestas, quae vacillaverat, denuo novo robore revivisceret. Non enim sufficit Pontifici in propria ditione imperium tenere, primas in Europa partes agere voluit sibi omnes subicere principes. Ad hanc ipsius causam promovendam omnem opem tulerunt Jesuitae, quorum postremis annis maxime aucta est potestas in omnibus fere Europae regionibus.



Ad hanc rem promovendam inservit dogma de immaculata conceptione Mariae, qua omnibus aperte ostendit Pius, se absoluta fere gaudere potestate. Quae omnia accepta referat Jesuitis, quorum astutia et potentia factum est ut novum dogma in lucem prodierit. Clam operantur, quo melius voti sui compotes fiant, nec desinent dum totam reportaverint victoriam, nisi divina Providentia hoc avertat.

Ac sane licet spem hujus victoriae prae se ferant, nequam despondemus animum.

In pejora ruit Romana Ecclesia; vel plane se avellere debet a Sacra Scriptura, vel ad purissimum redire fontem. Utinam hoc eventu compobetur! Catholici orbis conditionem perspectam habentibus, nobis excidere nequit, vehementer quassatam esse Romanam Ecclesiam. In Gallia et Sardinia praesertim in Hispania multi homines a Christi vicario alieni evaserunt, atque opportunitatem anhelant, publice obedientiam ei renuntiandi. Sed, quod majore laetitia nos afficit, verbi divini lux novo splendore fulgere incipit. Putavit Papa novo dogmate Sacram Scripturam suppressere, sed incredibile est dictu, quot exemplaria *hanc ob rem* per Galliam dispersa sint et lubenter accepta.

Haec sola optimaque arma sunt, quibus Romam vincere possumus, quaeque certissime victoriam nobis parabunt. Erroris enim regnum cedere *debet* regno veritatis: et quo magis ad errorum culmen pervenit prius, eo citius triumphum aget posterius.

Properet Papa in ultimam, quam indicavimus consequentiam: et placeat Deo O. M., ut Romanae Ecclesiae *virgo* fiat *virga*, qua ad pristinum Catholicae Ecclesiae reducatur statum.

F I N I S.

## T H E S E S.

### I.

Tischendorffio non assentiendum est legenti *ετεροῦς* Matth. XI: 16  
pro *ἐταίροις αὐτῶν*.

### II.

Errant qui τὰ ἔργα unice de miraculis interpretari solent.

### III.

Injuria pronomen אֱלֹהִים Genes. III: 15 ad Messiam refertur.

### IV.

Immaculatam conceptionem minime ex Mariae *λευρεία* explicandam esse, probant Dominicani, qui quamquam ardentissimi Mariae cultores, hanc doctrinam tamen non acceperunt.



## V.

Cultus Mariae origo non eadem est ac ceterorum sanctorum.

## VI.

Doctrina Ecclesiae Romano-Catholicae de justitia originali hominis naturam moralem, qualis in Sacro Codice describitur, subvertit.

## VII.

Varii, quibus laborat Romano-Catholicum systema, errores ex hac doctrina explicari possunt.

## VIII.

Injuria Reformatores, primi hominis conditionem in statu rectitudinis depingentes, praesidium sibi quaesierunt in Geneseos narratione.

## IX.

Sermones, qui dicuntur, Christi valedictorii una eademque nocte habiti sunt.

## X.

Prima Reformationis periodo Ecclesia Reformata Nederlandica magis fundata fuit in doctrina Zwingliano-Melanchthoniana quam in Calvinistica.

## XI.

Sine Luthero vel ejusdem indolis viro sacrorum instaurationis nunquam locum obtinisset.

## XII.

Ab utraque parte peccant Protestantes et Romano-Catholici, priores in cultu nimis intellectui, posteriores sensui indulgentes.

## XIII.

Qui imaginem Dei in homine plane interiisse statuunt, in rebus ad religionem pertinentibus, absolutae subjicere se debent auctoritati.

## XIV.

Varii in Christologia errores exinde explicandi sunt, quod divinum ab humano non gradu tantum sed genere diversum habuerunt dogmatici.

## XV.

Recte Augustinus: portentum non fit contra naturam, sed contra quam nota est natura.

## XVI.

Recte Baur (Gegensatz des Katholicismus und Protestantismus, pag. 128): »Der absolute Maaszstab des Guten ist ein objectiv gegebener; sobald wir aber unsern Standpunkt auf dem Indifferenzpunkt des liberum arbitrium nehmen, kann der absolute Maaszstab des Guten nicht in das Objekt, sondern nur in das Subjekt gesetzt werden, das sich selbst entweder für das Gute oder Böse bestimmt; und gut ist daher alles zu nennen, wofür sich das sich selbst bestimmende Subjekt, weil es ihm nach seiner subjektiven Ansicht als gut und vernunftgemäsz erschien, durch einen freien Willensakt entscheidet.»



## XVII.

Qui nimium tribuunt voluntati, postponentes intellectum repugnant  
indoli religionis Christianae totum hominem complectentis.

## XVIII.

Errant qui Angelologiae in dogmaticis nullum pretium tribuunt.

## XIX.

Non nisi de rebus Christianis cogitandi libertate ab utraque parte  
concessa, tolerantiae locus est.

## XX.

Presbyterii socios in Ecclesia Reformata a toto coetu libere cooptari  
praestat aliis cooptandi modis.

